

SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE BEQUEST OF
CHARLES MINOT,
OF SOMERVILLE,
(Class of 1828,)
12 Nov. 1874.

OMNIUM

CONCILII VATICANI

QUAE AD DOCTRINAM ET DISCIPLINAM PERTINENT

DOCUMENTORUM COLLECTIO

PER

CONRADUM MARTIN,

EPISCOPUM PADERBORNENSEM.

EDITIO ALTERA.

PADERBORNÆ.

SUMPTIBUS ET TYPIS FERDINANDI SCHŒNINGH.

1873.

[illegible]

[illegible] Hand.

PRAEFATIO.

Complectitur haec, quam in lucem edimus, Concilii Vaticani documentorum collectio non omnia quidem, sed tantummodo illa ejusdem Concilii documenta, quae ad doctrinam et disciplinam pertinent, nempe primo *duas illas Constitutiones dogmaticas,* quae in publicis Sessionibus tertia et quarta sancitae et promulgatae sunt; deinde illa *Decretorum Schemata,* quae, jussu Sanctissimi Patris, ab adscitis Viris theologis ecclesiasticique juris consultis praeparata, singulis Concilii Patribus distributa atque ad examen et judicium subjecta erant, tertio denique illa *Postulata,* quae secundum tenorem Litterarum Apostolicarum *Multiplices inter* peculiari Congregationi a Sanctissimo Patre pro excipiendis et expendendis ejusmodi propositionibus deputatae a Concilii Patribus erant exhibita.

Sed ingenue fatemur, primum, quum de suscipiendo hoc opere cogitaremus, etiam angustioribus limitibus illud nos circumscribere maluisse. Nam tunc nonnisi hoc nobis proposueramus, illa, quae diximus, Postulata integre collecta in lucem edere, exclusis tam illis duabus Constitutionibus dogmaticis, quam illis Decretorum Schematibus, quippe quae jam aliis viis longe lateque divulgata essent. Quum autem ad susceptum hoc opus aggressi essemus, facile nobis persuasimus, illa Postulata cum his, quae modo memoravimus, documentis tam arcte cohaerere, ut vix ab iis disjungi possent. Quapropter mutato consilio etiam haec documenta Postulatorum collectioni inserere constituimus. Jam vero, si quis quaerat, quaenam

potissimum causae nos impulerint, ut ipsorum *Postulatorum* publicationem susciperemus, primo in animum induximus illam, quae inter haec Postulata et Concilii ipsius acta intercedit, rationem. Nam haec est ejusmodi, ut, si quis ad rectam Concilii historiae intelligentiam pervenire voluerit, is illa Postulata omnino noscere debeat. An, ut hoc unum commemoremus, quisnam nescit, ipsam infallibilis magisterii Romani Pontificis definitionem, pro qua tanquam pretiosissimo hujus Concilii fructu Christiani omnes, qui hoc nomine digni sunt, Benignissimo Domino ex animo semper gratias agent, ex plurimorum Concilii Patrum postulatione ortum ducere? Sed etiam in se spectata haec Postulata magni pretii aestimanda sunt. Sunt enim haec Concilii *documenta* etiam egregia hujus temporis historiae ecclesiasticae *monumenta.* Nam auctores habent ecclesiarum antistites ex toto orbe terrarum in hoc Concilio coadunatos, qui modo singuli, modo cum pluribus aliis earundem ecclesiae provinciarum episcopis conjuncti his suis postulatis diserte enuntiant, quibusnam necessitatibus in quaque terrarum parte ecclesia prematur, a quibusnam potissimum medicamentis vulnerum, quae ipsi inflicta sint, sanatio exspectanda sit, quibusnam denique mediis totius ecclesiae bonum animarumque salus ex ipsorum sententia maxime promoveri possit. Quae quidem ejusmodi sunt, ut hodierni ecclesiae status nobis vivam quasi imaginem repraesentent.

Porro Postulata haec generaliter sumpta, quamquam majore, quam eorum, qui ea proposuerunt, auctoritate non sunt praedita, mirum quendam ecclesiasticae doctrinae, experientiae, sapientiae thesaurum continent, quem iis, quibus res ecclesiasticae cordi sunt, aperire, omnino operae pretium duximus.

Denique neque id silentio praetermittendum est, haec Postulata, penitius considerata, largam nobis materiem praebere ad retundenda tela inimicorum, qui teterrimis conviciis et calumniis Concilium Vaticanum impetere et lacerare non desinunt. Quid enim? Si quis haec Postulata sine praejudicata opinione perlustraverit, quodnam de eorum auctoribus judicium feret? Num cum istis calumniatoribus abjectorum

serviliumque adulatorum turpem eis notam inurere audebit, an potius agnoscet eorum modestiam quidem, sed et ingenuitatem, probitatem, libertatem, zelum denique, quo honori ecclesiae animarumque saluti consulere satagant et aeque sui ipsorum muneris episcopalis dignitatem, quam S. Sedis Apostolicae jura strenue defendant?

Quae quum ita se habeant, re iterum iterumque coram Deo pensitata, non potuimus dubitare, quin ex Postulatorum publicatione non parum utilitatis in ecclesiam redundaret. Quum vero hodiernorum temporum rationes nos non sperare sinant, Concilium Vaticanum tam feliciter coeptum et tam infeliciter interruptum jam proximo tempore labores suos retractaturum esse, Postulatorum publicationem existimavimus non diutius differendam, sed, obtenta a Sanctissimo Patre venia, huic operi illico manum admovendam esse. Sed de hac re haec hactenus.

Jam ut paucis exponamus, quonam modo et ordine rem susceptam tractaverimus, totum opus in quatuor partes distinximus. Primae parti attribuimus omnia documenta, quae ad *res dogmaticas* spectant; nempe primo illas duas, quas supra diximus, Constitutiones dogmaticas, deinde praeparata illa et Patribus Concilii distributa Constitutionum dogmaticarum Schemata, quae, si in Congregationibus generalibus jam discussa et a deputatione pro rebus fidei reformata fuerint, in hac ipsa forma reformata publicavimus; tertio denique *Postulata*, quae ad res dogmaticas spectant, et quidem eo digesta ordine, qui ordini, quo illae Constitutiones et illa Constitutionum Schemata sibi succedunt, respondet.

In secundam partem remisimus primo Constitutionum *de rebus disciplinae Schemata*, quae Concilii Patribus distributa, partim etiam in Congregationibus generalibus discussa et a deputatione pro rebus disciplinae reformata erant, deinde omnia quae ad disciplinam pertinent *Postulata*, et quidem hoc ordine disposita, ut illa, quae a magno episcoporum integrarum nationum vel provinciarum numero erant proposita, praemissa sint et sequantur reliqua, tam a singulis quam a pluribus Concilii Patribus proposita, suo quodque loco, maxime secundum rerum, quas tractant, diversitatem digesta.

In tertiam partem distribuimus tum Constitutionum *de Regularibus Schemata*, quae Concilii Patribus exhibita erant, tum Patrum, quae ad eandem rem pertinent, *Postulata.*

Quartae denique parti illa pauca documenta attribuimus, quae ad res *ritus Orientalis et missionum* pertinent.

Nomina postulantium quod attinet, ea, nisi res ipsa postulare videretur, ut adjungerentur, omittenda censuimus.

Haec sunt, quae praefanda habuimis. Quod superest, nihil ardentius cupimus et precamnr, quam ut Benignissimus Deus magni Concilii Vaticani magnum auctorem et Praesidem sanctissimum Patrem Nostrum Pium IX. captivitati et omnibus tribulationibus suis mox eripiat, ut de suis et s. Ecclesiae inimicis gloriose triumphans interruptum concilium restaurare et tam hoc ipsum, quam longum et gloriosum Pontificatum Suum felicissimo exitu coronare possit!

Paderbornae, d. 22. m. Februarii 1873.

PARS PRIMA.

DOCUMENTA, QUAE PERTINENT AD RES DOGMATICAS.

SECTIO PRIMA.

CONSTITUTIONES DOGMATICAE

EDITAE

IN SS. CONCILII VATICANI SESSIONIBUS III. ET IV.

---

1. CONSTITUTIO DOGMATICA

DE FIDE CATHOLICA,

EDITA

IN SS. CONCILII VATICANI SESSIONE TERTIA.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Dei Filius et generis humani Redemptor Dominus Noster Jesus Christus, ad Patrem coelestem rediturus, cum Ecclesia sua in terris militante omnibus diebus usque ad consummationem saeculi futurum se esse promisit. Quare dilectae sponsae praesto esse, adsistere docenti, operanti benedicere, periclitanti opem ferre nullo unquam tempore destitit. Haec vero salutaris ejus providentia, cum ex aliis beneficiis innumeris continenter apparuit, tum iis manifestissime comperta est fructibus, qui orbi christiano e Conciliis oecumenicis ac nominatim e Tridentino, iniquis licet temporibus celebrato, amplissimi provenerunt. Hinc enim sanctissima religionis dogmata pressius definita uberiusque exposita, errores damnati atque cohibiti; hinc ecclesiastica disciplina restituta firmiusque sancita, promotum in Clero scientiae et pietatis studium, parata adolescentibus ad sacram militiam educandis collegia, christiani denique populi mores et accuratiore fidelium eruditione et frequentiore sacramentorum usu instaurati. Hinc praeterea arctior membrorum cum visibili Capite communio, universoque corpori Christi mystico additus vigor; hinc religiosae multiplicatae familiae, aliaque christianae pietatis instituta; hinc ille etiam assiduus et usque ad sanguinis

effusionem constans ardor in Christi regno late per orbem propagando.

Verumtamen haec aliaque insignia emolumenta, quae per ultimam maxime oecumenicam Synodum divina clementia Ecclesiae largita est, dum grato, quo par est, animo recolimus; acerbum compescere haud possumus dolorem ob mala gravissima, inde potissimum orta, quod ejusdem sacrosanctae Synodi apud permultos vel auctoritas contempta, vel sapientissima neglecta fuere decreta.

Nemo enim ignorat, haereses, quas Tridentini Patres proscripserunt, dum, rejecto divino Ecclesiae magisterio, res ad religionem spectantes privati cujusvis judicio permitterentur, in sectas paullatim dissolutas esse multiplices, quibus inter se dissentientibus et concertantibus, omnis tandem in Christum fides apud non paucos labefactata est. Itaque ipsa sacra Biblia, quae antea christianae doctrinae unicus fons et judex asserebantur, jam non pro divinis haberi, imo mythicis commentis accenseri coeperunt.

Tum nata est et late nimis per orbem vagata illa rationalismi seu naturalismi doctrina, quae religioni christianae utpote supernaturali instituto per omnia adversans, summo studio molitur, ut Christo, qui solus Dominus et Salvator noster est, a mentibus humanis, a vita et moribus populorum excluso, merae quod vocant rationis vel naturae regnum stabiliatur. Relicta autem projectaque christiana religione, negato vero Deo et Christo ejus, prolapsa tandem est multorum mens in pantheismi, materialismi, atheismi barathrum, ut jam ipsam rationalem naturam, omnemque justi rectique normam negantes, ima humanae societatis fundamenta diruere connitantur.

Hac porro impietate circumquaque grassante, infeliciter contigit, ut plures etiam e catholicae Ecclesiae filiis a via verae pietatis aberrarent, in iisque, diminutis paullatim veritatibus, sensus catholicus attenuaretur. Variis enim ac peregrinis doctrinis abducti, naturam et gratiam, scientiam humanam et fidem divinam perperam commiscentes, genuinum sensum dogmatum, quem tenet ac docet Sancta Mater Ecclesia, depravare, integritatemque et sinceritatem fidei in periculum adducere comperiuntur.

Quibus omnibus perspectis, fieri qui potest, ut non commoveantur intima Ecclesiae viscera? Quemadmodum enim Deus vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire; quemadmodum Christus venit, ut salvum faceret, quod perierat, et filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum: ita Ecclesia, a Deo populorum mater et magistra constituta, omnibus debitricem se novit, ac lapsos erigere, labantes sus-

tinere, revertentes amplecti, confirmare bonos et ad meliora provehere parata semper et intenta est. Quapropter nullo tempore a Dei veritate, quae sanat omnia, testanda et praedicanda quiescere potest, sibi dictum esse non ignorans: *Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo amodo et usque in sempiternum.*[1])

Nos itaque, inhaerentes Praedecessorum Nostrorum vestigiis, pro supremo Nostro Apostolico munere veritatem catholicam docere ac tueri, perversasque doctrinas reprobare nunquam intermisimus. Nunc autem sedentibus Nobiscum et judicantibus universi orbis Episcopis, in hanc oecumenicam Synodum auctoritate Nostra in Spiritu Sancto congregatis, innixi Dei verbo scripto et tradito, prout ab Ecclesia catholica sancte custoditum et genuine expositum accepimus, ex hac Petri Cathedra in conspectu omnium salutarem Christi doctrinam profiteri et declarare constituimus, adversis erroribus potestate nobis a Deo tradita proscriptis atque damnatis.

CAPUT I.

De Deo rerum omnium Creatore.

Sancta Catholica Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur, unum esse Deum verum et vivum, Creatorem ac Dominum coeli et terrae, omnipotentem, aeternum, immensum, incomprehensibilem, intellectu ac voluntate omnique perfectione infinitum; qui cum sit una singularis, simplex omnino et incommutabilis substantia spiritualis, praedicandus est re et essentia a mundo distinctus, in se et ex se beatissimus, et super omnia, quae praeter ipsum sunt et concipi possunt, ineffabiliter excelsus.

Hic solus verus Deus bonitate sua et omnipotenti virtute non ad augendam suam beatitudinem, nec ad acquirendam, sed ad manifestandam perfectionem suam per bona, quae creaturis impertitur, liberrimo consilio simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem et corporalem, angelicam videlicet et mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu et corpore constitutam.[2])

Universa vero, quae condidit, Deus providentia sua tuetur atque gubernat, attingens a fine usque ad finem fortiter, et disponens omnia suaviter.[3]) Omnia enim nuda et aperta sunt oculis ejus,[4]) ea etiam, quae libera creaturarum actione futura sunt.

---

1) Is. LIX. 21. 2) Conc. Later. IV. c. 1. *Firmiter.*
3) Sap. VIII. 1. 4) Cf. Hebr. IV. 13.

CAPUT II.

De revelatione.

Eadem Sancta Mater Ecclesia tenet et docet, Deum, rerum omnium principium et finem, naturali humanae rationis lumine e rebus creatis certo cognosci posse; invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur:[1] attamen placuisse ejus sapientiae et bonitati, alia eaque supernaturali via se ipsum ac aeterna voluntatis suae decreta humano generi revelare, dicente Apostolo: *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis: novissime, diebus istis locutus est nobis in Filio.*[2])

Huic divinae revelationi tribuendum quidem est, ut ea, quae in rebus divinis humanae rationi per se impervia non sunt, in praesenti quoque generis humani conditione ab omnibus expedite, firma certitudine et nullo admixto errore cognosci possint. Non hac tamen de causa revelatio absolute necessaria dicenda est, sed quia Deus ex infinita bonitate sua ordinavit hominem ad finem supernaturalem, ad participanda scilicet bona divina, quae humanae mentis intelligentiam omnino superant; siquidem oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis, qui diligunt illum.[3])

Haec porro supernaturalis revelatio, secundum universalis Ecclesiae fidem, a sancta Tridentina Synodo declaratam, continetur in libris scriptis et sine scripto traditionibus, quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt.[4]) Qui quidem veteris et novi Testamenti libri integri cum omnibus suis partibus, prout in ejusdem Concilii decreto recensentur, et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis suscipiendi sunt. Eos vero Ecclesia pro sacris et canonicis habet, non ideo quod sola humana industria concinnati, sua deinde auctoritate sint approbati; nec ideo dumtaxat, quod revelationem sine errore contineant: sed propterea quod Spiritu Sancto inspirante conscripti Deum habent auctorem, atque ut tales ipsi Ecclesiae traditae sunt.

Quoniam vero, quae sancta Tridentina Synodus de interpretatione divinae Scripturae ad coërcenda petulantia ingenia salubriter decrevit, a quibusdam hominibus prave exponuntur,

---

[1]) Rom. I. 20. [2]) Hebr. I. 1 — 2. [3]) 1. Cor. II. 9.
[4]) Conc. Trid. sess. IV. Decr. de Can. Script.

Nos, idem decretum renovantes, hanc illius mentem esse declaramus, ut in rebus fidei et morum, ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, is pro vero sensu sacrae Scripturae habendus sit, quem tenuit ac tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum; atque ideò nemini licere contra hunc sensum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari.

CAPUT III.

De fide.

Quum homo a Deo tamquam Creatore et Domino suo totus dependeat, et ratio creata increatae Veritati penitus subjecta sit, plenum revelanti Deo intellectus et voluntatis obsequium fide praestare tenemur. Hanc vero fidem, quae humanae salutis initium est, Ecclesia catholica profitetur virtutem esse supernaturalem, qua, Dei aspirante et adjuvante gratia, ab eo revelata vera esse credimus, non propter intrinsecam rerum veritatem naturali rationis lumine perspectam, sed propter auctoritatem ipsius Dei revelantis, qui nec falli nec fallere potest. Est enim fides, testante Apostolo, sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.[1])

Ut nihilominus fidei nostrae obsequium rationi consentaneum esset, voluit Deus cum internis Spiritus Sancti auxiliis externa jungi revelationis suae argumenta, facta scilicet divina, atque imprimis miracula et prophetias, quae cum Dei omnipotentiam et infinitam scientiam luculenter commonstrent, divinae revelationis signa sunt certissima et omnium intelligentiae accommodata. Quare tum Moyses et Prophetae, tum ipse maxime Christus Dominus multa et manifestissima miracula et prophetias ediderunt; et de Apostolis legimus: *Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.*[2]) Et rursum scriptum est: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernae lucenti in caliginoso loco.*[3])

Licet autem fidei assensus nequaquam sit motus animi caecus: nemo tamen evangelicae praedicationi consentire potest, sicut oportet ad salutem consequendam, absque illuminatione et inspiratione Spiritus Sancti, qui dat omnibus suavitatem in consentiendo et credendo veritati.[4]) Quare fides ipsa in se,

---

1) Hebr. XI. 1. 2) Marc. XVI. 20.
3) 2. Petr. I. 19. 4) Synod. Araus. II. can. 7.

etiamsi per charitatem non operetur, donum Dei est, et actus ejus est opus ad salutem pertinens, quo homo liberam praestat ipsi Deo obedientiam, gratiae ejus, cui resistere posset, consentiendo et cooperando.

Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur, et ab Ecclesia sive solemni judicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur.

Quoniam vero sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; ideo nemini unquam sine illa contigit justificatio, nec ullus, nisi in ea perseveraverit usque in finem, vitam aeternam assequetur. Ut autem officio veram fidem amplectendi, in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis manifestis notis instruxit, ut ea tamquam custos et magistra verbi revelati ab omnibus posset agnosci. Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia, quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam Ecclesia per se ipsa, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem, invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile.

Quo fit, ut ipsa veluti signum levatum in nationes,[1] et ad se invitet, qui nondum crediderunt, et filios suos certiores faciat, firmissimo niti fundamento fidem, quam profitentur. Cui quidem testimonio efficax subsidium accedit ex superna virtute. Etenim benignissimus Dominus et errantes gratia sua excitat atque adjuvat, ut ad agnitionem veritatis venire possint; et eos, quos de tenebris transtulit in admirabile lumen suum, in hoc eodem lumine ut perseverent, gratia sua confirmat, non deserens, nisi deseratur. Quocirca minime par est conditio eorum, qui per coeleste fidei donum catholicae veritati adhaeserunt, atque eorum, qui ducti opinionibus humanis, falsam religionem sectantur; illi enim, qui fidem sub Ecclesiae magisterio susceperunt, nullam unquam habere possunt justam causam mutandi, aut in dubium fidem eamdem revocandi. Quae cum ita sint, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, tantam ne negligamus salutem, sed aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Jesum, teneamus spei nostrae confessionem indeclinabilem.

---

[1]) Is. XI. 12.

CAPUT IV.

De fide et ratione.

Hoc quoque perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et tenet, duplicem esse ordinem cognitionis, non solum principio, sed objecto etiam distinctum: principio quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; objecto autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur mysteria in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus, innotescere non possunt. Quocirca Apostolus, qui a gentibus Deum per ea, quae facta sunt, cognitum esse testatur, disserens tamen de gratia et veritate, quae per Jesum Christum facta est,[1]) pronuntiat: Loquimur Dei sapientiam in mysterio, quae abscondita est, quam praedestinavit Deus ante saecula in gloriam nostram, quam nemo principum hujus saeculi cognovit: — nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei.[2]) Et ipse Unigenitus confitetur Patri, quia abscondit haec a sapientibus et prudentibus, et revelavit ea parvulis.[3])

Ac ratio quidem, fide illustrata, cum sedulo, pie et sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur, tum ex eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et cum fine hominis ultimo; nunquam tamen idonea redditur ad ea perspicienda instar veritatum, quae proprium ipsius objectum constituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus, et non per speciem.[4])

Verum etsi fides sit supra rationem, nulla tamen unquam inter fidem et rationem vera dissensio esse potest: cum idem Deus, qui mysteria revelat et fidem infundit, animo humano rationis lumen indiderit; Deus autem negare seipsum non possit, nec verum vero unquam contradicere. Inanis autem hujus contradictionis species inde potissimum oritur, quod vel fidei dogmata ad mentem Ecclesiae intellecta et exposita non fuerint, vel opinionum commenta pro rationis effatis habeantur. Omnem igitur assertionem veritati illuminatae fidei contrariam

---

[1]) Joan. I. 17. [2]) 1. Cor. II. 7—9. [3]) Matth. XI. 25.
[4]) 2. Cor. V. 7.

omnino falsam esse definimus.[1] Porro Ecclesia, quae una cum apostolicô munere docendi, mandatum accepit, fidei depositum custodiendi, jus etiam et officium divinitus habet falsi nominis scientiam proscribendi, ne quis decipiatur per philosophiam, et inanem fallaciam.[2] Quapropter omnes christiani fideles hujusmodi opiniones, quae fidei doctrinae contrariae esse cognoscuntur, maxime si ab Ecclesia reprobatae fuerint, non solum prohibentur tanquam legitimas scientiae conclusiones defendere, sed pro erroribus potius, qui fallacem veritatis speciem prae se ferant, habere tenentur omnino.

Neque solum fides et ratio inter se dissidere nunquam possunt, sed opem quoque sibi mutuam ferunt, cum recta ratio fidei fundamenta demonstret, ejusque lumine illustrata rerum divinarum scientiam excolat; fides vero rationem ab erroribus liberet ac tueatur, eamque multiplici cognitione instruat. Quapropter tantum abest, ut Ecclesia humanarum artium et disciplinarum culturae obsistat, ut hanc multis modis juvet atque promoveat. Non enim commoda ab iis ad hominum vitam dimanantia aut ignorat aut despicit; fatetur imo, eas, quemadmodum a Deo, scientiarum Domino, profectae sunt, ita si rite pertractentur, ad Deum, juvante ejus gratia, perducere. Nec sane ipsa vetat, ne hujusmodi disciplinae in suo quaeque ambitu propriis utantur principiis et propria methodo; sed justam hanc libertatem agnoscens, id sedulo cavet, ne divinae doctrinae repugnando errores in se suscipiant, aut fines proprios transgressae, ea, quae sunt fidei, occupent et perturbent.

Neque enim fidei doctrina, quam Deus revelavit, velut philosophicum inventum proposita est humanis ingeniis perficienda, sed tanquam divinum depositum Christi Sponsae tradita, fideliter custodienda et infallibiliter declaranda. Hinc sacrorum quoque dogmatum is sensus perpetuo est retinendus, quem semel declaravit Sancta Mater Ecclesia, nec unquam ab eo sensu, altioris intelligentiae specie et nomine, recedendum. Crescat igitur et multum vehementerque proficiat, tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae, aetatum ac saeculorum gradibus, intelligentia, scientia, sapientia: sed in suo dumtaxat genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia.[3]

---

1) Conc. Lat. V. Bulla *Apostolici regiminis.*
2) Coloss. II. 8. 3) Vinc. Lir. Common. n. 28.

CANONES.

I.

De Deo rerum omnium Creatore.

1. Si quis unum verum Deum visibilium et invisibilium Creatorem et Dominum negaverit; anathema sit.

2. Si quis praeter materiam nihil esse affirmare non erubuerit; anathema sit.

3. Si quis dixerit, unam eandemque esse Dei et rerum omnium substantiam vel essentiam; anathema sit.

4. Si quis dixerit, res finitas, tum corporeas tum spirituales, aut saltem spirituales, e divina substantia emanasse;

aut divinam essentiam sui manifestatione vel evolutione fieri omnia;

aut denique Deum esse ens universale seu indefinitum, quod sese determinando constituat rerum universitatem in genera, species et individua distinctam; anathema sit.

5. Si quis non confiteatur, mundum, resque omnes, quae in eo continentur, et spirituales et materiales, secundum totam suam substantiam a Deo ex nihilo esse productas;

aut Deum dixerit non voluntate ab omni necessitate libera, sed tam necessario creasse, quam necessario amat seipsum;

aut mundum ad Dei gloriam conditum esse negaverit; anathema sit.

II.

De revelatione.

1. Si quis dixerit, Deum unum et verum, Creatorem et Dominum nostrum, per ea, quae facta sunt, naturali rationis humanae lumine certo cognosci non posse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fieri non posse, aut non expedire, ut per revelationem divinam homo de Deo, cultuque ei exhibendo edoceatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, hominem ad cognitionem et perfectionem, quae naturalem superet, divinitus evehi non posse, sed ex seipso ad omnis tandem veri et boni possessionem jugi profectu pertingere posse et debere; anathema sit.

4. Si quis sacrae Scripturae libros integros cum omnibus suis partibus, prout illos sancta Tridentina Synodus recensuit, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; anathema sit.

III.

De fide.

1. Si quis dixerit, rationem humanam ita independentem esse, ut fides ei a Deo imperari non possit; anathema sit.

2. Si quis dixerit, fidem divinam a naturali de Deo et rebus moralibus scientia non distingui, ac propterea ad fidem divinam non requiri, ut revelata veritas propter auctoritatem Dei revelantis credatur; anathema sit.

3. Si quis dixerit, revelationem divinam externis signis credibilem fieri non posse, ideoque sola interna cujusque experientia aut inspiratione privata homines ad fidem moveri debere; anathema sit.

4. Si quis dixerit, miracula nulla fieri posse, proindeque omnes de iis narrationes, etiam in sacra Scriptura contentas, inter fabulas vel mythos ablegandas esse; aut miracula certo cognosci nunquam posse, nec iis divinam religionis christianae originem rite probari; anathema sit.

5. Si quis dixerit, assensum fidei christianae non esse liberum, sed argumentis humanae rationis necessario produci; aut ad solam fidem vivam, quae per charitatem operatur, gratiam Dei necessariam esse; anathema sit.

6. Si quis dixerit, parem esse conditionem fidelium atque eorum, qui ad fidem unice veram nondum pervenerunt, ita ut catholici justam causam habere possint, fidem, quam sub Ecclesiae magisterio jam susceperunt, assensu suspenso in dubium vocandi, donec demonstrationem scientificam credibilitatis et veritatis fidei suae absolverint; anathema sit.

IV.

De fide et ratione.

1. Si quis dixerit, in revelatione divina nulla vera et proprie dicta mysteria contineri, sed universa fidei dogmata posse per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et demonstrari; anathema sit.

2. Si quis dixerit, disciplinas humanas ea cum libertate tractandas esse, ut earum assertiones, etsi doctrinae revelatae adversentur, tanquam verae retineri, neque ab Ecclesia proscribi possint; anathema sit.

3. Si quis dixerit, fieri posse, ut dogmatibus ab Ecclesia propositis aliquando secundum progressum scientiae sensus tribuendus sit alius ab eo, quem intellexit et intelligit Ecclesia; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exequentes, omnes Christi fideles, maxime vero eos, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, nec non ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores a Sancta Ecclesia arcendos et eliminandos, atque purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi etiam Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones, quae isthic diserte non enumerantur, ab hac Sancta Sede proscriptae et prohibitae sunt.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die vigesima quarta Aprilis.

Pontificatus Nostri anno vigesimo quarto.

2. CONSTITUTIO DOGMATICA PRIMA
DE ECCLESIA CHRISTI,
EDITA
IN CONCILII VATICANI SESSIONE QUARTA.

PIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI,
SACRO APPROBANTE CONCILIO AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter, priusquam clarificaretur, rogavit Patrem non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt.[1]) Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pastores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero Episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cujus fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in hujus fidei firmitate consurgeret.[2]) Et quoniam portae inferi ad evertendam, si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum majori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus, sacro approbante Concilio, doctrinam de institutione, perpetuitate, ac natura sacri Apostolici primatus, in quo totius

---

1) Cf. Joan. XVII. 1. 20. sq.
2) S. Leo M. serm. IV. (al. III.) cap. 2. in diem Natalis sui.

Ecclesiae vis ac soliditas consistit, cunctis fidelibus credendam et tenendam, secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare.

CAPUT I.

De Apostolici primatus in beato Petro institutione.

Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro Apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Ad unum enim Simonem, cui dixerat: *Tu vocaberis Cephas,* [1]) postquam ille suam confessionem edidit: *Tu es Christus, Filius Dei vivi,* locutus est Dominus: *Beatus es Simon Bar-Iona: quia caro, et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est: et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.* [2]) Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile, dicens: *Pasce agnos meos: Pasce oves meas.* [3]) Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate, directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius Ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

---

[1]) Joan. I. 42. [2]) Matth. XVI. 16—19. [3]) Joan. XXI. 15—17.

CAPUT II.

De Perpetuitate primatus Petri in Romanis Pontificibus.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli enim dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum princeps et caput, fideique columna et Ecclesiae catholicae fundamentum, qui a Domino nostro Jesu Christo et Salvatore humani generis ac Redemptore claves regni accepit, ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet. [1]) Unde quicumque in hac Cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit. [2]) Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede, e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tamquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent. [3])

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

CAPUT III.

De vi et ratione primatus Romani Pontificis.

Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis et inhaerentes tum Praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum tum Conciliorum generalium disertis, perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem,

---

[1]) Cf. Ephesini Concilii Act. III.

[2]) S. Leo M. Serm. III. (al. II.) cap. 3.

[3]) S. Iren. Adv. haer. l. III. c. 3. et Epist. Conc. Aquilei. a. 381. inter epp. S. Ambrosii ep. XI.

qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum, et hanc Romani Pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est, immediatam esse: erga quam cujuscumque ritus et dignitatis, pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes, officio hierarchicae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae, per totum orbem diffusae, pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri Pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, dicente sancto Gregorio Magno: *Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur.* [1])

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam Ecclesiam jus eidem esse consequitur, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae con-

---

[1]) S. Gregor. M. ad Eulog. Alexandrin. l. VIII. ep. XXX.

stituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino Apostolici primatus jure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium, [1] et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse judicium recurri; [2] Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate major non est, judicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de ejus licere judicare judicio. [3] Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus, quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem hujus supremae potestatis; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

CAPUT IV.

De Romani Pontificis Infallibili Magisterio.

Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea imprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, majorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab hujus ergo fide et doctrina separari minime cu-

---

[1] Pii PP. VI. Breve „Super soliditate“ d. 28. Nov. 1786.
[2] Concil. Oecum. Lugdun. II.
[3] Ep. s. Nicolai I. ad Michaelem Imperatorem.

pientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas.[1]) Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur, parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites nunc singuli, nunc in Synodis congregati, longam Ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum.[2]) Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut rogata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea Deo adjutore cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut eo assistente traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum

---

[1]) Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii Oecumenici VIII., Constantinopolitani IV., proposita et ab iisdem subscripta est.

[2]) Cf. S. Bern. Epist. CXC.

suorum principi factam: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*[1])

Hoc igitur veritatis et fidei non deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione Ecclesia tota una conservaretur atque suo fundamento innixa firma adversus inferi portas consisteret.

Atvero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio conjungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo ad Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque ejusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

---

[1]) Luc. XXII. 32.

SECTIO SECUNDA.

CONSTITUTIONUM DOGMATICARUM SCHEMATA.

1. SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE DOCTRINA CATHOLICA.[1]

CAPUT I.

De ss. Trinitate.

Mysteriorum, quae fide illuminati profitemur, omnium supremum ipse Deus est, unus in essentia, trinus in personis: Pater, Filius et Spiritus Sanctus. Haec beata Trinitas secundum sinceram catholicae fidei veritatem unus est Deus, propterea quod essentia seu substantia tribus personis communis re et numero una est. Pater enim ab aeterno Filium generat, non aliam suae aequalem essentiam emanatione producendo, sed ipsam suam simplicissimam essentiam communicando; pariterque Spiritus S. non multiplicatione essentiae, sed ejusdem essentiae singularis communicatione a Patre et Filio tamquam ab uno principio una spiratione aeterna procedit. Haec igitur una numero essentia seu natura veraciter est Pater, Filius et Spiritus S. tres simul personae et singillatim quaelibet earumdem: ita ut personae inter se realiter distinctae sint, natura autem seu essentia unum idemque sint.[2]

---

[1]) Hoc Schema a commissione Theologorum primum exaratum et concilii Patribus ad discutiendum propositum deinde ratione habita animadversionum, quae a pluribus Patribus in ejus discussione in aula Concilii factae erant, a deputatione pro rebus fidei reformatum est. Adnotatio editoris.

[2]) Cf. Conc. Lat. V. Cap. *Damnamus.*

Et quoniam in Deo omnia unum sunt, ubi non obviat relationis oppositio,[1]) una est voluntas et operatio, qua Trinitas sacrosancta cuncta extra se condidit, disponit et gubernat. Neque enim personae divinae extra se secundum originis relationes, quibus distinguuntur, sed secundum quod sunt unum et singulare principium, operantur.

CAPUT II.

De hominis creatione et natura.

De hominis vero natura et origine, divinis litteris edocta haec credit et praedicat S. Mater Ecclesia. Facturus Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam, ut praeesset universae terrae, corpori de limo terrae formato inspiravit spiraculum vitae, animam scilicet de nihilo productam, immaterialem, incorruptibilem, immortalem, intelligentia et libera voluntate praeditam. Quae anima rationalis corporis humani, etsi ab eo essentia differens, vere tamen, per se et essentialiter forma est,[2]) ita ut cum eo constituat naturam humanam vere et realiter unam.

Primo autem homini Adae et Evae uxori, e costa ejus divinitus formatae, benedicens Deus ait: „Multiplicamini et replete terram;“ [3]) atque ita „ex uno fecit omne genus hominum inhabitare super universam faciem terrae.“ [4]) Quare etiam „vocavit Adam nomen uxoris suae Heva, eo quod mater esset cunctorum viventium;“ [5]) Adam vero ipse primus dicitur formatus a Deo pater orbis terrarum,[6]) quippe a quo cuncti, qui incolunt terram, naturali generatione descendant carne de carne nascente, cui anima a Deo, in singulis de novo creata infunditur. Qua fidei sententia negata, dogma quoque de peccato ab uno primo genitore in omnes transfuso, et de redemtione omnium, per unum Mediatorem Jesum laeditur, contra Apostoli doctrinam: „Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae.“ [7])

---

[1]) Conc. Florent. Decr. pro Jacob.
[2]) Cf. Conc. Vienn. Clementina. Conc. Lat. V. *Apost. Regiminis.* Litt. apost. Pii IX. d. d. 15. Jun. 1857.
[3]) Gen. I. 28. [4]) Act. XVII. 26. [5]) Gen. III. 20.
[6]) Sap. X. 1. [7]) Rom. V. 18.

CAPUT III.

De hominis elevatione et lapsu.

Verum in ipso generis humani primordio magnum insuper quoddam divinae pietatis arcanum fides christiana agnoscit. Homo ad imaginem Dei factus ipsa quidem natura sua ordinatur ad Deum cognoscendum, colendum, amandum, eo videlicet modo, qui insitae facultati congruit. Verumtamen summus rerum Conditor et Dominus, cujus potentia creatae naturae proprietatibus et legibus non circumscribitur, inexhausta bonitate humanum genus in primo parente super naturae conditionem ad statum quendam sublimem elevare voluit, in quo divinae ipsius consors efficeretur naturae (2. Petr. 1. 4.). Itaque praeter dona, quibus in propria natura perficeretur, Spiritum Sanctum ei infudit, ut, natura quidem servus, sanctitatis autem gratia filius, jam non solius naturae vigore, sed charitate desuper infusa, divina mandata et virtutis opera exequendo, aeternam haereditatem promereretur. Ad haec carnem spiritui gratia sua plene subjectam fecit, et mortis ipsius timorem a mortali removit. Mortalis quippe erat homo conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio Conditoris.[1])

Hunc Deus in paradisi felicitate tanquam in umbra vitae collocavit, sic munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exilio.[2]) Posuit ante eum vitam et mortem, ut, siquidem vitam eligeret, de virtute in virtutem conscendens, ad regnum coeleste transferretur, Deum Deorum visurus, non ut facultate naturali videri potest, sed facie ad faciem sicuti est, et hac visione in ipsum transformatus divinae voluptatis torrente potaretur.

Haec illa est hominis elevatio, quam SS. Patrum vestigiis insistentes Doctores catholici recte supernaturalem vocaverunt, ut quae naturae creatae tum vires tum exigentiam transcendat, ideoque nec meritis nec naturali conditioni hominis debita, sed gratuitum sit divinae largitatis beneficium.

At vero homo Conditori et Patri suo ingratus mandatum ejus libere transgrediendo e statu, ad quem super naturae conditionem evectus erat, una cum propagine sua excidit, iram Dei et indignationem incurrens, sanctitatem et justitiam tam sibi quam nobis perdidit, et peccato inquinatus non mortem et poenas corporis tantum, sed etiam peccatum, quod mors est animae, in omne genus humanum transfudit. Quod quidem Adae peccatum propagatione, non imitatione in omnes ejus

---

1) S. Aug. Enchir. c. 25. 2) Ibid.

filios transfusum unumquemque in statu peccatoris constituit: quemadmodum Ecclesia constanter docuit, et S. Tridentina Synodus definivit, cujus decreta hoc approbante Concilio renovamus.

Ab omnibus tamen fidelibus firmiter credendum constanterque profitendum est, Dei Matrem B. V. Mariam in primo instanti suae conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, prout per Apost. Nostram Constitutionem, quae incipit *Ineffabilis Deus*, a Nobis declaratum et definitum est.

CAPUT IV.

De mysterio verbi incarnati.

At Deus generis nostri ruinam praevidens, secundum sacramentum voluntatis suae, lapsum hominem erigere et devicto daemone, cujus versutia perierat, de morte ad vitam revocare misericorditer ab aeterno decrevit. Quapropter ubi venit plenitudo temporis, misit Filium suum unigenitum, factum ex muliere, ut omnes, qui crederent in eum, de tenebrarum potestate ereptos in regnum hujus Filii dilectionis suae transferret.

Haec autem recta et sincera est verbi incarnati fides, ut credamus et confiteamur, D. N. Jesum Christum verum Deum et verum hominem esse, Deum ex substantia Patris ante saecula genitum, et hominem ex substantia matris in saeculo natum. Summus enim et sempiternus Dei Filius, qui se ad humani generis salutem inclinavit, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed, quod erat, esse non destitit.[1]) Quum enim in forma i. e. natura Dei esset Patri aequalis, nascendo ex Matre Virgine formam servi, i. e. naturam humanam ita sibi propriam fecit, ut per hanc homo fieret nobis consubstantialis. Atque ita in integra veri hominis perfectaque natura verus natus est Deus, totus in suis, totus in nostris.[2]) Haec igitur est humanae naturae cum divina persona unio secundum hypostasin, a sacris Conciliis definita et ab universa semper Ecclesia credita et praedicata, ut non alius sit Deus Verbum et alius homo Jesus, sed una hypostasis seu persona et Deus per divinam et homo sit per humanam naturam assumtam.

Quare sicut in SS. Trinitate tres personae distinctae in una subsistunt natura, ita in Christo contra una divina persona

---

[1]) Cf. S. Leo M. serm. 7. de Nativ.

[2]) S. Leo M. Ep. ad Flav.

in duabus subsistit naturis distinctis et diversis. Ex quo quidem secundum SS. Patrum admonitionem intelligant omnes oportet, essentiae, substantiae seu naturae notionem cum notione hypostasis, subsistentiae seu personae minime esse confundendam; ne cum manifesta sacratissimorum dogmatum subversione tot semper dicantur esse personae, quot sint intellectuales sive ut loquuntur sui consciae naturae.

Quamvis vero Incarnationem Filii Dei tota Trinitas operata sit, quia inseparabilia sunt opera Trinitatis; solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, seu in eo, quod est proprium Filii, non quod commune Trinitati.[1])

Ex quo igitur Filius Dei, a paterna gloria non recedens, nova nativitate generatus, haec mundi infima ingressus est, humana de Deo, qui verus est homo, et de homine, qui verus est Deus, divina veraciter praedicantur. Invisibilis enim in suis visibilis factus est in nostris, ante tempora manens esse coepit ex tempore, impassibilis Deus non dedignatus est homo esse passibilis, et immortalis mortis legibus subjacere.[2]) Quae quidem proprietatum utriusque naturae in una eademque Filii Dei persona communio, sicut in apostolicis et evangelicis scriptis manifestata, ita perpetuo Patrum consensu tradita et sancita est.

Servat proinde utraque natura etiam post unionem sine defectu proprietatem suam: quoniam nec Deus mutatur miseratione, nec homo consumitur dignitate.[3]) Quare sicut duae in Christo naturae, ita duae voluntates et operationes confitendae sunt: unus tamen et idem operator nostrae salutis, Unigenitus Dei, qui per divinam divina, humana per humanam naturam indivise et inconfuse operatur, per formam Dei coruscans miraculis, et in forma servi succumbens injuriis.[4]) Atvero carni et sanguini participans cum infirmitate naturae culpae maculam nequaquam suscepit, et licet vero libero arbitrio praeditus, non solum non peccavit, sed nec peccare potuit. Qui neque passionibus animae aut carnis concupiscentiis molestatus a malis paulatim sese separavit,[5]) verum in purissimae Virginis utero de Spiritu Sancto sanctus conceptus et natus est.

Sic nihilominus Deus dilexit mundum, ut hunc Filium suum unigenitum victimam daret, eumque, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum faceret. Talis enim decebat,

---

[1]) Conc. Tolet. XI. Conf. fidei.

[2]) S. Leo M. Ep. ad Flav. [3]) Ibid.

[4]) Ep. S. Agath. ad Conc. Ep. III. Conc. Lat. I. sub Martino. Ep. S. Leonis ad Flav.

[5]) Conc. Oecum. V. can. 12.

ut nobis esset Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus et excelsior coelis factus. Qui per Spiritum S. semetipsum offerens immaculatum Deo, per proprium sanguinem semel introivit in Sancta, aeterna redemtione inventa (Hebr. 7. 9.). Vere igitur Christus Jesus, Mediator Dei et hominum, unus moriens pro omnibus, divinae justitiae pro nobis satisfecit, et deleto chirographo, quod erat contrarium nobis, expolians principatus et potestates, et vetusta nos servitute in filiorum libertatem vindicavit. Si enim unius delicto mors regnavit per unum; multo magis abundantiam gratiae et donationis et justitiae accipientes in vita regnabunt per unum Jesum Christum (Rom. 5. 17.).

Haec vero vis satisfaciendi pro peccatis omnium et merendi nobis justificationis gratiam et haereditatem passioni Redemtoris inerat, propterea quod humani ejus actus valorem habebant secundum dignitatem personae divinae per assumtam naturam operantis. Redemti igitur non corruptibilibus auro et argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati et incontaminati, animas nostras castificemus in obedientia charitatis, et in fide viventis Filii Dei, qui dilexit nos et tradidit semetipsum pro nobis, exspectemus beatam spem et adventum gloriae magni Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi.

Quo autem magis hac nostra aetate magistri mendaces et impii homines, quos venturos esse Apostoli praenuntiarunt (2. Petr. 2. Jud. 4.), Ejus, qui emit eos, gloriae obtrectant; tanto studiosius nos celsitudinem illius efferre et revereri majestatem decet. Hic enim Dei ingeniti unigenitus Filius splendor est gloriae et figura substantiae ejus, principium et finis, per quem et propter quem condita sunt universa. Qui propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, in assumta servi forma traditus est propter delicta nostra et resurrexit propter justificationem nostram, atque inferorum et mortis victor super omnes coelos ascendens sedet ad dexteram majestatis in excelsis, Rex regum et Dominus dominantium. Eum enim super omnem principatum et potestatem Pater constituit haeredem universorum, ut in omnibus primatum gerens, credentibus et obtemperantibus sibi causa sit salutis aeternae. Iterum autem venturus est cum virtute magna et majestate judicare vivos et mortuos et omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem Filii Dei, et procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitae, qui vero mala egerunt, in resurrectionem judicii. Tum revelabitur majestas ejus, divinitas et sempiterna virtus et omnis lingua confitebitur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris (Philipp. 2.).

CAPUT V.

De gratia redemptoris.

Gratiam, quae propter Christi Redemptoris merita donatur, Ecclesia catholica ejusmodi esse profitetur, per quam non solum a peccati servitute et potestate diaboli liberemur, verum etiam spiritu mentis nostrae renovati justitiam et sanctitatem, quam Adam peccando sibi et nobis perdidit, recuperemus. Neque igitur haec gratia naturae tantum vires reparat, ut per eam adjuti ad honestatis normam mores et actus nostros plene componere possimus, sed ultra naturae terminos ad coelestis hominis i. e. Christi imaginem nos transformat in novamque vitam regenerat. In Christo enim Jesu elegit nos Deus ante mundi constitutionem, et praedestinavit conformes fieri imagini Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. Unde hanc nobis charitatem dedit Pater, ut ex Deo nati filii Dei nominemur et simus. Qua quidem filiorum adoptione redditum nobis est illud divinae naturae consortium, quod nunc inchoatum per gratiam, aliquando consummabitur in gloria. Spiritu vero Filii, quem Deus misit in corda nostra, uncti et sacrati, templum quoddam divinae majestatis efficimur, in quo Trinitas sacrosancta habitare, seque ipsam animae fideli communicare dignatur, dicente Christo Domino: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus (Joan. 14. 23.).

Quare hoc quoque tenendum et ab omnibus Christi fidelibus profitendum est, sanctificantem gratiam, qua Deo conjungimur, non in externo tantum favore Dei consistere, neque in actibus tantum praetereuntibus reperiri, sed permanens esse donum supernaturale, quod divinitus infusum animae inhaeret, tam in adultis justificatis, quam in infantibus baptismo regeneratis. Haec hominis per incarnatum Verbum renovatio illud est mysterium a saeculis absconditum, quo Deus, quae in primo Adam mirabiliter condiderat, mirabilius in secundo reformavit.

Deploranda autem eorum est caecitas, qui Christi religione, quod supernaturalis sit, naturae humanae dignitati derogari, eamque libertati ac felicitati obesse arbitrantur. Tantum enim abest, ut haec divina institutio hominem deprimat, ut eum mirum in modum exaltet. A peccati enim servitute liberatum ad coelestem gloriam ita disponit, ut naturae quoque dotes ornet, aut perficiat. Neque minus profecto abhorrendus error, quo quidam supernaturali Dei ordinationi resistentes, intra naturae fines sistere neque ultra hujus bona quidquam

appetere liberum esse contendunt, necessariam illam cohaerentiam destruentes, quae Dei voluntate intercedit inter utrumque ordinem, qui tum in natura, tum supra naturam est. Postquam enim divina clementia ad coelestia regna hominem transferri decrevit, viam autem ad ea Jesum Christum constituit, jam non est in alio aliquo salus; sed qui in Christum non crediderit, aut ejus mandata non servaverit, cum peccatoribus ejicietur in tenebras, ubi erit fletus et stridor dentium.

Hinc etiam fit, ut illa, quam dicunt, vitae probitas, qua mandata Dei, quod ad operum substantiam pertinet, utcumque servantur, a justitia et sanctitate, quae operantem ad coeleste regnum perducit, longe distet. Licet enim vis illa naturae insit, qua legitimum aliquid anima rationalis et sentit et facit, quod non solum non vituperetur, verum etiam merito recteque laudetur: nihil tamen horum, quandoquidem sine fide et sine gratia fiunt, ad illam pietatem pertinet, quae in vitam transfert aeternam.[1] Quemadmodum enim haec ipsa beata vita, ita dispositio ad eam, utpote super naturam posita, ex gratuito miserentis Dei beneficio est. Ad nullum igitur actum salutarem sive in justis, ut justificentur adhuc, sive in peccatoribus, ut disponantur ad justificationem, naturae vires sufficiunt, attestante Domino: Sine me nihil potestis facere (Joan. 15. 5.); et Apostolo ejus: Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est (2. Cor. 3. 5.). Quare et illud verissime dicitur, per gratiam non solum dari nobis, ut, quod per naturae vigorem difficulter possumus, facilius possimus, sed etiam ut illud, quod per naturam nullo modo possumus, et velimus et perficiamus. Deus est enim, qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate (Phil. 2. 13.).

Sed haec ipsa opera bona, quae gratia praeveniente, comitante et subsequente fiunt, vitae aeternae meritum non habent sine illo sanctitatis dono, quo justi cum Christo tanquam membra cum capite conjuncti, et tanquam filii Dei per gratiam cum Filio Dei naturali consociati sunt: monente Domino: Sicut palmes non potest ferre fructum a semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis: et asseverante Apostolo: Si autem filii, et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi (Rom. 8. 17.).

Ut enimvero, qui in hac gratia decedunt, vitam aeternam, quae est justitiae corona, certo consequentur; ita qui ea privati moriuntur, ad illam nunquam perventuri sunt. Post mortem enim, quae est viae nostrae terminus, mox ad Dei tribunal

---

[1] Conf. S. Aug. de sp. et litt. c. 28. (n. 48.).

sistimur, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit, sive bonum sive malum (2. Cor. 5. 10), neque ullus post hanc mortalem vitam relinquitur locus poenitentiae ad justificationem. Omnes igitur, qui in actuali peccato mortali vita funguntur, a regno Dei exclusi cruciatus gehennae, in qua nulla est redemptio, in aeternum sustinebunt. Etiam qui cum solo originali peccato mortem obeunt, beata Dei visione in perpetuum carebunt. Qui vero in charitate Dei decesserint, antequam dignis poenitentiae fructibus de commissis satisfecerint et omissis, eorum animae poenis purgatoriis post mortem purgantur.

Illorum denique animae, qui post baptismum nullam peccati maculam incurrerunt, aut post contractam maculam sive in corpore sive post mortem purgati sunt, mox in coelum recipiuntur atque Deum unum et trinum clare intuentes divina essentia in omnem aeternitatem fruentur.[1])

Quare monemur, ut, dum tempus habemus, operemur bonum (Gal. 6. 10); quia venit nox, quando nemo potest operari. (Joan. 9. 4.) —

CANONES.

I.

De ss. Trinitate.

1. Si quis dixerit, sicut tres personas, ita et tres essentias seu substantias in Deo esse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, divinam substantiam non numero, sed specie seu qualitate trium personarum unam eandemque esse; anathema sit.

3. Si quis dixerit, Trinitatem unum Deum esse non propter unius substantiae singularitatem, sed propter Dei trium substantiarum aequalitatem et personarum ad se invicem relationem; anathema sit.

4. Si quis creationem aut quamvis aliam operationem ad extra uni personae divinae ita propriam esse dixerit, ut non sit omnibus communis, una et indivisa; anathema sit.

---

[1]) Conf. Concilii Florentini decretum unionis; Innocent. III. Decret. Majores. De Bapt.; Bened. XII. Const. Benedictus Deus; Pius VI. Auctor. fidei prop. 26.

II.

De hominis natura et origine.

1. Si quis negaverit, animam hominis a corpore natura diversam, spiritualem et immortalem esse; anathema sit.

2. Si quis praeter animam rationalem aliam ab hac realiter distinctam in homine esse affirmaverit; anathema sit. [1])

3. Si quis negaverit, naturam humanam e corpore et spiritu compositam vere et realiter unam esse; anathema sit.

4. Si quis universum genus humanum ab uno protoparente Adam ortum esse negaverit; anathema sit.

III.

De hominis elevatione et lapsu.

1. Si quis non confiteatur, humanum genus in primo parente ad statum supernaturalem elevatum esse; anathema sit.

2. Si quis dixerit, eatenus tantum ordinem supernaturalem admittendum esse, quatenus supernaturale dici possit, quidquid ad essentialem hominis perfectionem non pertinet; et non confiteatur, esse dona et instituta divina, quae tum vires tum exigentiam naturae creatae superent, eamque ultra suum ordinem perficiant; anathema sit.

3. Si quis dixerit, sanctitatem et justitiam, in qua homo ante lapsum constitutus erat, non fuisse supernaturalem, sed ejusmodi ad quam recte vivendo per insitas naturae facultates pertingere potuisset; anathema sit.

4. Si quis negaverit, peccatum originale in Adae posteris vere et proprie peccatum esse, nisi ab ipsis actuali consensu peccando comprobetur; anathema sit.

5. Si quis dixerit, peccatum originale formaliter esse ipsam concupiscentiam aut physicum seu substantialem naturae humanae morbum, et negaverit, privationem gratiae sanctificantis de ejus ratione esse; anathema sit.

IV.

De mysterio verbi incarnati.

1. Si quis non confiteatur, unum eundemque Dominum Nostrum Jesum Christum sicut verum hominem, ita et verum Deum esse; anathema sit. [2])

---

[1]) Cf. Syn. VIII. can. 11. [2]) Syn. III. can. 1—2—5.

2. Si quis negaverit, humanam Christi naturam ita Deo Verbo esse unitam, ut Verbum in ea tanquam sibi propria facta subsistat; anathema sit.[1])

3. Si quis unam personam Jesu Christi tanquam plures complectentem intelligat, duasque in mysterio Christi personas introducat, divinam et humanam, quae nexu indissolubili inde a conceptione conjunctae, unam personam compositam efficiant; anathema sit. [2])

4. Si quis dixerit, tot necessario esse personas, quot sunt intellectus et voluntates; aut negata duplici in Christo persona negari humanae naturae perfectionem; anathema sit.

5. Si quis affirmare praesumserit, satisfactionem vicariam, unius scilicet Mediatoris pro cunctis hominibus, justitiae divinae repugnare; anathema sit.

6. Si quis non confiteatur, ipsum Deum Verbum, in assumta carne patiendo et moriendo, pro peccatis nostris Deo potuisse satisfacere vel vere et proprie satisfecisse, nobisque gratiam et gloriam meruisse; anathema sit.[3])

7. Si quis alia impia dogmata Apollinaris, Nestorii, Eutychetis vel Sergii a SS. Conciliis Ephesino, Chalcedonensi et Constantinopolitano damnata defendat, et non confiteatur doctrinam de mysterio Christi, quae ab iisdem Synodis et Praedecessoribus Nostris S. Leone et S. Agathone declarata, atque in Florentino Concilio oecumenico denuo confirmata est; anathema sit.

V.

De gratia Redemptoris.

1. Si quis negaverit, per Christum Redemptorem instauratum esse ordinem supernaturalis gratiae; anathema sit.

2. Si quis dixerit, justificationem non esse, nisi remissionem peccatorum; aut gratiam sanctificantem non esse nisi favorem, quo Deus hominem tanquam gratum acceptet, paratusque sit ad gratiae actualis auxilia concedenda; anathema sit.

3. Si quis negaverit, gratiam sanctificantem donum esse supernaturale permanens et in anima inhaerens; anathema sit.

4. Si quis dixerit, hominem sine gratia et fide justificari coram Deo sola divinorum mandatorum observantia; anathema sit.

---

[1]) Cf. Syn. III. can. 3. Syn. IV. can. 4.
[2]) Cf. Syn. V. can. 5.
[3]) Syn. III. can. 10. et 12. — Conc. Florent. Decr. pro Jacobitis.

5. Si quis dixerit, naturae rationalis facultatem sine divina per Jesum Christum gratia sufficere ad aliquod opus bonum, quod ad justitiam christianam et vitam aeternam disponat; anathema sit.

6. Si quis dixerit, etiam post mortem hominem justificari posse; aut poenas damnatorum in gehenna perpetuas futuras esse negaverit; anathema sit.

Itaque supremi pastoralis Nostri officii debitum exsequentes omnes Christi fideles et maxime, qui praesunt vel docendi munere funguntur, per viscera Jesu Christi obtestamur, necnon ejusdem Dei et Salvatoris nostri auctoritate jubemus, ut ad hos errores e sancta Ecclesia eliminandos et purissimae fidei lucem pandendam studium et operam conferant.

Quoniam vero satis non est, haereticam pravitatem devitare, nisi ii quoque errores diligenter fugiantur, qui ad illam plus minusve accedunt; omnes officii monemus, servandi Constitutiones et Decreta, quibus pravae ejusmodi opiniones ab hac S. Sede proscriptae et prohibitae sunt.

---

2. SCHEMA CONSTITUTIONIS DOGMATICAE DE ECCLESIA CHRISTI.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI,

SACRO APPROBANTE CONCILIO IN PERPETUAM REI MEMORIAM.

Supremi pastoris apostolicum ministerium, in quo Dei ineffabili providentia et misericordia positi sumus, sollicite ac continuo Nos urget, ut nihil praetermittamus, quo via, quae ad vitam et salutem ducit aeternam, omnibus hominibus pateat, et qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad lucem et agnitionem veritatis perveniant. Cum igitur Deus ac Salvator noster totius salutiferae doctrinae veritatem, et mediorum salutis thesauros in Ecclesiam suam quasi in depositorium dives contulerit, ut omnes sumant ex ea potum vitae:[1]) in primis ipsa vera Ecclesia et errantibus indicanda et fidelibus instantius commendanda est, ut illi ad viam salutis adducantur, hi autem

---

[1]) Cf. s. Iren. adv. haer. l. III. c. 4.

in ea confirmentur et crescant. Quare Nostri muneris esse ducimus, potiora capita verae et catholicae doctrinae, de Ecclesiae natura, proprietatibus, ac potestate exponere et grassantes oppositos errores subjectis Canonum articulis condemnare.

CAPUT I.

Ecclesiam esse corpus Christi mysticum.

Unigenitus Dei Filius, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, quique nulla unquam aetate miseris Adae filiis ope sua defuit, in ea plenitudine temporis, quae sempiterno consilio fuerat praestituta, [1]) in similitudinem hominum factus [2]) visibilis apparuit in assumpta nostri corporis forma, ut terreni homines atque carnales novum hominem induentes, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, [3]) corpus efformarent mysticum, cujus ipse exsisteret caput. Ad hanc vero mystici corporis unionem efficiendam, Christus Dominus sacrum regenerationis et renovationis instituit lavacrum, quo filii hominum tot nominibus inter se divisi, maxime vero peccatis dilapsi, ab omni culparum sorde mundati membra essent ad invicem, [4]) suoque divino capiti fide, spe, et charitate conjuncti, uno ejus Spiritu omnes vivificarentur, ac coelestium gratiarum et charismatum dona cumulate reciperent. Atque haec est, quae, ut fidelium mentibus objiciatur alteque defixa haereat, satis nunquam commendari potest, praecellens Ecclesiae species, cujus caput est Christus, [5]) ex quo totum corpus compactum, et connexum per omnem juncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscujusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in charitate. [6])

CAPUT II.

Christianam religionem nonnisi in Ecclesia et per Ecclesiam a Christo fundatam excoli posse.

Hanc Ecclesiam, quam acquisivit sanguine suo, et tamquam sponsam unice electam ab aeterno dilexit, auctor fidei et consummator Jesus ipse fundavit atque instituit, et per Apostolos suos eorumque successores jugiter usque ad consummationem

---

[1]) S. Ambros. de fid. ad b. Hieron. presbyt. ap. Mai VV. Scriptt. tom. VII. par. 1. p. 159.
[2]) Ep. ad Philipp. II. 7. [3]) Ep. ad Ephes. IV. 24.
[4]) Cf. ep. ad Ephes. IV. 4—25. coll. ep. 1. ad Cor. XII. 12—14.
[5]) Ep. ad Coloss. I. 18. [6]) Ep. ad Eph. IV. 16.

saeculi in universo mundo et ex omni creatura colligendam, docendam, moderandamque praecepit, ut una esset gens sancta, unus populus acceptabilis, sectator bonorum operum.[1]) Neque enim evangelicae legis ea ratio est, ut excluso quovis societatis vinculo veri adoratores singuli seorsum Patrem adorent in spiritu et veritate; sed religionem suam ita societati a se institutae inhaerentem Redemptor noster voluit, ut cum ea penitus conserta ac veluti concreta maneret, et extra illam vera Christi religio nulla esset.

CAPUT III.

Ecclesiam esse societatem veram, perfectam, spiritualem, et supernaturalem.

Docemus autem ac declaramus, Ecclesiae inesse omnes verae societatis qualitates. Neque societas haec indefinita vel informis a Christo relicta est; sed quemadmodum ab ipso suam exsistentiam habet: ita ejusdem voluntate ac lege suam exsistendi formam suamque constitutionem accepit. Neque eadem membrum est sive pars alterius cujuslibet societatis, nec cum alia quavis confusa aut commiscenda; sed adeo in semetipsa perfecta, ut dum ab omnibus humanis societatibus distinguitur, supra eas tamen quam maxime evehatur. Ab inexhausto enim misericordiae Dei Patris fonte profecta, per incarnati ipsius Verbi ministerium operamque fundata, in Spiritu sancto constituta est, qui in Apostolos primum largissime effusus, abunde etiam jugiter diffunditur in filios adoptionis, ut iidem lumine ejus collustrati una mentium fide et Deo adhaereant et inter se cohaereant; ut pignus haereditatis in cordibus suis circumferentes, carnis desideria ab ejus, quae in mundo est, concupiscentiae corruptione avellant, et beata una communique spe firmati, concupiscant promissam aeternam Dei gloriam, atque adeo per bona opera certam suam vocationem et electionem faciant.[2]) Quum autem his bonorum divitiis in Ecclesia homines per Spiritum sanctum augeantur, atque his ejusdem sancti Spiritus nexibus in unitate cohaereant: Ecclesia ipsa spiritualis societas est, atque ordinis omnino supernaturalis.

CAPUT IV.

Ecclesiam esse societatem visibilem.

Absit tamen, ut quis credat, Ecclesiae membra nonnisi internis ac latentibus vinculis jungi, et abditam inde societatem

[1]) Epist. ad Tit. II. 14. [2]) Ep. II. b. Pet. Ap. I. 10.

ac prorsus invisibilem fieri. Aeterna siquidem Dei sapientia ac virtus voluit, spiritualibus et invisibilibus vinculis, quibus fideles supremo ac visibili Ecclesiae capiti per Spiritum sanctum adhaerent, externa quoque ac visibilia respondere, ut spiritualis illa ac supernaturalis societas extrinsecus appareret, et conspicua patesceret. Hinc visibile magisterium, a quo credenda interius exteriusque profitenda fides[1]) publice proponitur; visibile quoque ministerium, quod visibilia Dei mysteria, quibus interior sanctificatio hominibus et debitus Deo cultus comparatur, munere publico moderatur ac curat; visibile regimen, quod membrorum inter se communionem ordinat, externamque omnem et publicam fidelium in Ecclesia vitam disponit ac dirigit; visibile demum totum Ecclesiae corpus, ad quod non justi tantum aut praedestinati pertinent, sed etiam peccatores, professione tamen fidei et communione cum eo conjuncti. Quibus fit, ut Christi Ecclesia in terris nec invisibilis nec latens sit; sed in manifestatione posita,[2]) veluti civitas excelsa et illustris in monte,[3]) quae abscondi non potest, ac veluti lucerna super candelabrum,[4]) quae sole justitiae illuminata, mundum universum luce suae veritatis illustrat.

CAPUT V.

De visibili Ecclesiae unitate.

Cum ejusmodi sit vera Christi Ecclesia, declaramus, hanc visibilem conspicuamque societatem esse illam ipsam divinarum promissionum ac misericordiarum Ecclesiam, quam Christus tot praerogativis ac privilegiis destinguere et exornare voluit; eandemque ita plane in sua constitutione esse determinatam, ut quaecumque societates a fidei unitate vel a communione hujus corporis sejunctae nullo modo pars ejus aut membrum dici possint; neque per varias christiani nominis consociationes dispersam atque diffusam, sed totam in se collectam penitusque cohaerentem, in sua conspicua unitate indivisum ac indivisibile corpus praeferre; quod est ipsum corpus mysticum Christi. De quo Apostolus inquit, unum corpus, et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia et in omnibus nobis. [5])

---

[1]) Cf. ep. ad Rom. X. 10.

[2]) S. Augustin. in Ps. XVIII. enarrat. II. n. 6. coll. de unit. Eccl. l. un. c. 16. n. 40., con. Crescon. Donatist. l. II. c. 36. n. 45., con. litt. Petil. l. II. c. 32. n. 74. c. 104. n. 239.

[3]) S. Cyrill. alex. com. in Is. l. III. c. 25. n. 4.

[4]) Cf. Matth. V. 15. [5]) Ep. ad Ephes. IV. 4—6.

CAPUT VI.

Ecclesiam esse societatem ad salutem consequendam omnino necessariam.

Hinc omnes intelligant, quam necessaria ad salutem obtinendam societas sit Ecclesia Christi. Tantae nimirum necessitatis, quantae consortium et conjunctio est cum Christo capite et mystico ejus corpore, praeter quod nullam aliam communionem ipse nutrit et fovet tanquam Ecclesiam suam, quam solam dilexit et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquae in verbo vitae: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.[1]) Idcirco docemus, Ecclesiam non liberam societatem esse, quasi indifferens sit ad salutem, eam sive nosse sive ignorare, sive ingredi sive relinquere; sed esse omnino necessariam, et quidem necessitate non tantum praecepti dominici, quo Salvator omnibus gentibus eam ingrediendam praescripsit; verum etiam medii, quia in instituto salutaris providentiae ordine communicatio sancti Spiritus, participatio veritatis et vitae non obtinetur, nisi in Ecclesia et per Ecclesiam, cujus caput est Christus.

CAPUT VII.

Extra Ecclesiam salvari neminem posse.

Porro dogma fidei est, extra Ecclesiam salvari neminem posse. Neque tamen, qui circa Christum ejusque Ecclesiam invincibili ignorantia laborant, propter hanc ignorantiam poenis aeternis damnandi sunt, cum nulla obstringantur hujusce rei culpa ante oculos Domini, qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, quique facienti quod in se est non denegat gratiam, ut justificationem et vitam aeternam consequi possit: sed hanc nullus consequitur, qui a fidei unitate vel ab Ecclesiae communione culpabiliter sejunctus ex hac vita decedit. Si quis in hac arca non fuerit, peribit regnante diluvio. Quare reprobamus et detestamur impiam aeque ac ipsi rationi repugnantem de religionum indifferentia doctrinam, qua filii hujus saeculi, veritatis et erroris sublato discrimine, dicunt, omnibus aeternae vitae portum ex qualibet religione patere; aut contendunt, de veritate religionis opiniones tantum plus minusve probabiles, non autem certitudinem haberi posse.

---

[1]) Cf. ep ad Ephes. V. 29. et 25. 27.

Pariterque reprobamus impietatem illorum, qui claudunt regnum coelorum ante homines, falsis praetextibus affirmantes, indecorum vel ad salutem minime necessarium esse, deserere religionem, etsi falsam, in qua quis natus vel educatus ac institutus est; nec non Ecclesiam ipsam, quae se religionem esse unice veram profitetur, omnes autem religiones et sectas a sua communione separatas proscribit et damnat, criminantur, perinde ac si ulla unquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas lucis ad tenebras, et conventio Christi ad Belial.

CAPUT VIII.

De Ecclesiae indefectibilitate.

Declaramus insuper, Christi Ecclesiam, sive exsistentia sive constitutio ejus spectetur, societatem esse perennem atque indefectibilem, nullamque post illam neque pleniorem neque perfectiorem salutis oeconomiam in hoc saeculo exspectandam esse. Etenim cum ad finem usque mundi qui in terris peregrinantur mortales Christo auctore salvandi sint: Ecclesia ipsius, quae sola est salutis societas, ad finem usque mundi in sua constitutione immutabilis semper et immota persistet. Licet igitur Ecclesia crescat, et utinam augeatur jugiter fide et charitate, ut Christi corpus aedificetur; licet pro varia aetate sua, et pro diversitate adjunctorum, inter quae constanter militando versatur, varie sese explicet: eadem tamen in se suaque a Christo accepta constitutione immutabilis perseverat. Quare Christi Ecclesia nunquam potest excidere suis proprietatibus et dotibus, sacro suo magisterio, ministerio et regimine, ut Christus per corpus suum visibile perpetuo sit omnibus hominibus via, veritas et vita.

CAPUT IX.

De Ecclesiae infallibilitate.

Excideret porro Ecclesia Christi a sua immutabilitate et dignitate, et desineret esse societas vitae ac necessarium salutis medium, si eadem a salutari fidei morumque veritate aberrare, ac in ea praedicanda atque exponenda falli vel fallere posset. At columna et firmamentum veritatis [1]) est; ideoque ab omni erroris falsitatisque periculo libera et immunis. Sacro autem et universali approbante Concilio docemus atque declaramus, dotem infallibilitatis, quae tanquam perpetua Ecclesiae Christi

---

[1]) Ep. I. ad Timoth. III. 15.

praerogativa revelata est, quaeque nec cum inspirationis charismate confundi debet, neque eo spectat, ut Ecclesia novis revelationibus ditescat, collatam ad hoc esse, ut verbum Dei, sive id scriptum sive traditum sit, in universali Christi Ecclesia integrum, et a quavis novitatis immutationisque corruptela immune asseratur et custodiatur, secundum illud Apostoli mandatum: O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.[1] Quod idem Apostolus iterum inculcat scribens: Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide et in dilectione in Christo Jesu. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis.[2] Objectum igitur infallibilitatis tantum patere docemus, quantum fidei patet depositum, et ejus custodiendi officium postulat; adeoque praerogativam infallibilitatis, qua Christi Ecclesia pollet, ambitu suo complecti tum universum Dei verbum revelatum, tum id omne, quod licet in se revelatum non sit, est tamen ejusmodi, sine quo illud tuto conservari, certo ac definitive ad credendum proponi et explicari, aut contra errores hominum ac falsi nominis scientiae oppositiones valide asseri defendique non possit. Haec autem infallibilitas, cujus finis est fidelium societatis in doctrina fidei et morum intemerata veritas, magisterio inest, quod Christus in Ecclesia sua perpetuum instituit, cum ad Apostolos dixit: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.[3] Et iisdem promisit Christus veritatis suae Spiritum, qui maneret cum eis in aeternum, in eis esset, eosque omnem veritatem doceret.[4]

CAPUT X.

De Ecclesiae potestate.

Christi autem Ecclesia non est societas aequalium, acsi omnes in ea fideles eadem jura haberent; verum est societas inaequalis, et hoc non ideo tantum, quia fidelium alii clerici sunt, alii laici; sed propterea maxime, quod in Ecclesia est potestas divinitus instituta, qua alii ad sanctificandum, docendum et regendum praediti sunt, alii destituuntur. Cum vero Ecclesiae potestas alia sit et dicatur ordinis, alia jurisdictionis: de hac

---

[1]) Ep. I. ad Timoth. VI. 20. [2]) Ep. II. ad Timoth. I. 13. 14.
[3]) Matth. XXVIII. 19. 20.
[4]) Cf. Joann. XIV. 16. 17. coll. XVI. 13.

altera speciatim docemus, eam non solum esse fori interni et sacramentalis; sed etiam fori externi ac publici, absolutam atque omnino plenam, nimirum legiferam, judiciariam, et coercitivam. Potestatis autem hujusmodi subjectum sunt Pastores et Doctores a Christo dati, qui eam libere et a quavis saeculari dominatione independenter exercent; adeoque cum omni imperio[1]) regunt Ecclesiam Dei tum necessariis et conscientiam quoque obligantibus legibus, tum decretoriis judiciis, tum denique salutaribus poenis in sontes etiam invitos, nec solum in iis, quae fidem et mores, cultum et sanctificationem, sed in iis etiam, quae externam Ecclesiae disciplinam et administrationem respiciunt. Unde Ecclesia Christi perfecta societas credenda est. Haec autem vera et tam felix Christi Ecclesia alia non est, praeter unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Romanam.

CAPUT XI.

De Romani Pontificis primatu.[2])

Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, qui priusquam clarificaretur rogavit Patrem, ut credentes in ipsum omnes unum essent, sicut Pater et Filius unum sunt,[3]) ad catholicae fidei et communionis unitatem in sua Ecclesia jugiter conservandam, in beato Petro Apostolo instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, dum juxta evangelii testimonia Petro Apostolo primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe promisit atque contulit. Ad unum namque Petrum Christus Filius Dei vivi dixit: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam: et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in coelis.[4]) Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris

---

[1]) Cf. ep. ad Tit. II. 15. col. ep. I. ad Cor. VII. 6.

[2]) Hoc caput substratum erat Schemati constitutionis dogmaticae primae de Ecclesia Christi, quae in IV. Sessione edita est. Infallibilitas magisterii Romani Pontificis, ut quisque videt, in hoc capite non est expressa; sed plurimis Concilii Patribus postulantibus, ut haec doctrina a Concilio Vaticano definiretur, demum post hanc postulationem Schema expositionis hujus doctrinae exaratum est. Primaria forma hujus Schematis, quod primum deputationis pro rebus fidei examini propositum fuerat, continetur in capite, quod huic capiti subjunctum, inscribitur: „caput addendum decreto de Romani Pontificis Primatu". (Adnotatio editoris).

[3]) Cf. Joann. XVII. 1. 21. sq. [4]) Matth. XVI. 18 19.

et rectoris jurisdictionem in totum ipsius ovile dicens: Pasce agnos meos. Pasce oves meas.[1]) Unde condemnamus atque rejicimus huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia catholica semper intellecta est, contrarias eorum sententias, qui constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae omnibus Apostolis, sive seorsum singulis sive omnibus simul vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut suo ministro delatum fuisse.

Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus[2]) in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firmiter stabit, jugiter durare necesse est. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit.[3]) Semper enim in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso primum fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet, ita ut, quicumque in hac cathedra Petro succedit, is juxta Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtineat. Hinc innovantes atque in omnibus sequentes tum praedecessorum Nostrorum Romanorum Pontificum decreta, tum praecedentium Conciliorum generalium disertas perspicuasque definitiones, docemus et declaramus, credendum ab omnibus Christi fidelibus esse, hanc sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem, in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem, doctorem et judicem supremum exsistere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; et hanc, quae propria est jurisdictionis potestas, ordinariam esse et immediatam, erga quam particularium ecclesiarum pastores atque fideles tam seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchicae subordinationis veraeque obedientiae obstringuntur,[4]) ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno

[1]) Joann. XXI. 15. 17.
[2]) Ep. I. Pet. V. 4. coll. ep. ad Hebr. XIII. 20.
[3]) S. Leo M. ser. 3. (al. 2.) n. 3.
[4]) Expressa ad formulas fidei Conc. Lugdunens. II. Conc. Florent., et Pii VI. Brev. „Super soliditate".

summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare salva fide atque salute nemo potest. Quare damnamus atque reprobamus eorum sententias, qui a fide discedentes et attendentes spiritibus erroris[1]) negant, primatus potestatem a Christo Domino fuisse in beato Petro ita institutam, ut eundem oporteat perpetuos in collata sibi primatus potestate successores habere; aut affirmant, Romanorum Pontificum jurisdictionem ordinariam et immediatam non esse tam in omnes simul quam in singulas seorsum particularium pastorum ecclesias: aut etiam contendunt, licere ab judiciis Romanorum Pontificum ad futurum generale Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Ex hac autem suprema, ordinaria et immediata tum in Ecclesiam universalem, tum in omnes et singulos particularium Ecclesiarum pastores et fideles potestate jurisdictionis consequitur, Romano Pontifici necessarium jus esse, in hujus sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus perniciosas illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem impediendam dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel ejus auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

CAPUT ADDENDUM

DECRETO DE ROMANI PONTIFICIS PRIMATU.

Romanum Pontificem in rebus fidei et morum definiendis errare non posse.

Sancta Romana Ecclesia summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet, quem se ab ipso Domino in beato Petro Apostolorum principe, cujus Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri.[2]) Et quia non potest Domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: „Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam",[3]) haec quae dicta sunt, rerum pro-

---

[1]) Ep. I. ad Tim. IV. I.
[2]) Ex professione fidei edita a Graecis in Conc. Oecum. Lugdun. II.
[3]) Matth. XVI. 18.

bantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica servata religio, et sancta celebrata doctrina:[1]) hinc, sacro approbante Concilio, docemus et tanquam fidei dogma definimus, per divinam assistentiam fieri, ut Romanus Pontifex, cui in persona beati Petri dictum est ab eodem Domino Nostro Jesu Christo: „Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua“,[2]) cum supremi omnium Christianorum Doctoris munere fungens pro auctoritate definit, quid in rebus fidei et morum ab universa Ecclesia tenendum sit, errare non possit; et hanc Romani Pontificis inerrantiae seu infallibilitatis praerogativam ad idem objectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur. Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere (quod Deus avertat) praesumpserit, sciat se a veritate fidei catholicae et ab unitate Ecclesiae defecisse.

CAPUT XII.

De temporali Sanctae Sedis Dominio.

Ut autem Romanus Pontifex primatus sibi divinitus collati munus, uti par est, adimpleret, iis indigebat praesidiis, quae temporum conditioni et necessitati congruerent. Unde singulari divinae providentiae consilio factum est, ut in tanta saecularium principum multitudine et varietate Romana quoque Ecclesia temporalem dominationem haberet: quo Romanus Pontifex, summus totius Ecclesiae postor, nulli principi subjectus, supremam universi dominici gregis pascendi regendique potestatem auctoritatemque ab ipso Christo Domino acceptam per universum orbem plenissima libertate exercere, ac simul facilius divinam religionem magis in dies augere, et, quae pro re ac tempore ad majorem totius christianae reipublicae utilitatem pertinere ipse cognosceret, efficacius peragere posset.

Cum vero impii homines, qui omne in terris jus mutare conantur, hunc civilem Sanctae Romanae Ecclesiae principatum, in rei christianae bonum et utilitatem ordinatum, et ab ea omnibus juris titulis legitime tot saeculorum decursu possessum, quovis insidiarum et violentiarum genere labefactare ac convellere adnitantur: sacro approbante Concilio innovantes hujus Apostolicae Sedis ac praecedentium Conciliorum judicia ac decreta, damnamus atque proscribimus tum eorum haereticam doctrinam, qui affirmant, repugnare juri divino, ut cum spirituali potestate in Romanis Pontificibus principatus civilis

---

[1]) Ex formula S. Hormisdae Papae subscripta a Patribus Conc. Oecum. VIII. Constantinop. IV.

[2]) Luc. XXII. 32.

conjungatur, tum perversam eorum sententiam, qui contendunt, Ecclesiae non esse, de hujus principatus civilis ad generale christianae reipublicae bonum relatione quidpiam cum auctoritate constituere; adeoque licere catholicis hominibus, ab illius decisionibus hac de re editis recedere aliterque sentire.

CAPUT XIII.

De concordia inter Ecclesiam ac societatem civilem.

Perfecta haec civitas, quam sacrae litterae regnum Dei appellant, superna quidem est, si, unde orta sit et quo tendat, cogitatur, descendens quasi Christi sponsa de coelo et transitura in coelestem illam, quae sursum est Jerusalem consummatorum, cum Christus tradiderit regnum Deo et Patri, ut sit Deus omnia in omnibus.[1] Nunc vero Ecclesia usque ad finem saeculorum in terris atque inter terrenas civitates adhuc militans, ex divini fundatoris sui omniumque Redemptoris mandato in sinum suum maternum colligit omnes gentes, quae sicut indole ac moribus inter se diversae, ita etiam multiplici et varia civilis societatis forma sunt constitutae. Qui enim homines, ad sui conservationem et congruam rationi felicitatem temporalem, natura duce et Dei creatoris ordinatione in civilem societatem coierunt, iidem ut in aeternum salventur, in sanctam illam societatem, quae est Ecclesia, gratia Dei Salvatoris vocantur. Cum igitur utriusque societatis, licet modo diverso pro diverso earum ordine ac fine, Deus infinite sanctus et sapiens sit auctor: ex ipsa rerum natura inter Ecclesiam et societatem civilem vel inter potestates, quibus utraque regitur, non sane pugna est aut oppositio.

Quin immo Ecclesia rempublicam maximo munimento firmat ac tuetur, ejusque securitati prospicit. Illa enim instituta ad sanctificandos homines, ipsa virtute et pietate christiana bonos etiam cives facit, qui si tales sint, quales esse praecipit doctrina catholica, sine dubio magna erunt salus reipublicae.[2] Praeterea cum terrena potestas in temporali utilitate et poenarum metu suam observandarum legum sanctionem positam habeat, vera religio, cujus et custos et magistra est Ecclesia catholica, auctoritatem imperantium validius doctrina legibusque divinis confirmat. Praecipit enim religio catholica sua auctoritate divina, ut homines legitimae potestati subditi sint non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.[3]

---

[1] Cf. Heb. XII. 22. 23; I. Cor. XV. 24. 28.
[2] Cf. Aug. ad Marcellin. ep. 158. n. 15. [3] Rom. XIII. 5.

Quodsi Ecclesia monet ac jubet subditos secundum mandatum divinitus acceptum obedire regibus, non minus reges quoque docet prospicere populis, ut intelligant et erudiantur, qui judicant terram, non ad dominandi cupiditatem, sed ad officium providendi sibi datam esse a Domino potestatem et virtutem ab Altissimo, ut tanquam ministri regni ejus recte judicent, et custodiant legem justitiae; quoniam pusillum et magnum ipse fecit, et aequaliter cura est illi de omnibus. [1])

Ecclesia igitur catholica regum et populorum, atque in his singulorum omnis conditionis hominum religione divina tum jura tuetur tum officia docet ac praecipit, atque ita legibus humanis sanctius fundamentum ponit et fideliorem conciliat obedientiam. Quare cum haec civitas Dei tantum conferat ad securitatem et felicitatem civitatis terrenae, vel ex hoc uno omnes intelligant, quanta sapientia ac bonitate Deus auctor naturae et gratiae atque utriusque civitatis ordinator potestates sacerdotii et imperii non inimicas sed vinculo pacis conjungendas disposuerit. Haec autem utriusque civitatis conjunctio, ex qua in ipsam civilem societatem tanta bona promanant, non liberae hominum optioni permissa sed Dei lege praecepta est. Quoniam enim non solum singuli privatim homines sed etiam omnes in vita publica ipsaque societas ad veram religionem erga Deum tenentur religionisque legibus obstringuntur, hinc ipsa publica societas, cujus cives simul fideles sint, magnis et necessariis officiis obligatur erga Dei Ecclesiam, quae verae religionis doctrinam et leges et jura ex divino mandato custodit ac tuetur.

Quapropter nemo dicere praesumat, non posse auctoritatem et jura Ecclesiae cum saecularis potestatis juribus et auctoritate consistere; atque ideo ad optimam societatis publicae rationem necessariam esse civilis reipublicae ab Ecclesia separationem, ita ut imperio negetur jus et officium coercendi sancitis poenis violatores catholicae religionis, nisi quatenus pax publica postulet; vel omnino ita, ut humana societas constituatur et gubernetur nullo habito ad religionem respectu, ac si ea non existeret, vel saltem nullo facto veram inter falsasque religiones discrimine.

Quod inter sacerdotium et imperium dissidia orta sunt et in dies oriuntur, id nemo audeat asserere ex ipsa indole ac natura potestatis ecclesiasticae provenire. Pax vera inter utramque potestatem et concordia, quam Ecclesia semper optat et humili supplicatione postulat a Deo, servari nunquam potest, si libertas sponsae Jesu Christi opprimitur et violantur

---

1) Cf. Sap. VI. 4—8.

jura, quae Ecclesia exercere atque integra servare non solum potest sed etiam debet, quia simul cum officiis cohaerent, quae ipsi a divino suo fundatore injuncta sunt ad salutem animarum.

Hujusmodi bella iniquissima, qui volunt esse Ecclesiae filii, matri suae nunquam inferrent, si imperantium et populorum mentibus constanter obversaretur veritas a Christo Domino severissimis verbis inculcata, nihil prodesse homini mundum universum lucrari, si animae suae detrimentum patiatur,[1]) atque adeo supra illam felicitatem vitae humanae, ad quam civilis potestas per se ordinatur, esse finem sublimiorem et unice necessarium beatitudinis aeternae, ad quam homines per Ecclesiam sunt deducendi; ideoque habita vel sola ratione finis, qui utrique praestituitur, reipublicae civili Ecclesiam Jesu Christi tantum praecellere, quantum hujus vitae commoda ac bona superat salus animarum non auro vel argento, sed pretioso sanguine Christi redemptarum, et vitae aeternae felicitas.

Quamvis igitur civilis societatis dispositio per se et directe non ad supernaturalem felicitatem, sed ad temporale communitatis bonum pertineat, christianis tamen hominibus non in hoc solummodo sistendum est; sed postulatur ab eis, ut temporali bono praeferant sempiternum, atque ideo non minus in publicis rebus, quam privatis negotiis, finem inferiorem non ita respiciant, ut finem hominis ultimum et necessarium ab oculis dimittant; unde si quando videantur utilia regno temporali, quae bonis sublimioribus Ecclesiae et aeternae saluti repugnent, ea nunquam habebunt pro veris bonis, sed sincere consequi studebunt, quod ajebat magnus ille Gregorius, ut terrestre regnum coelesti regno famuletur.

CAPUT XIV.

De jure et usu potestatis civilis secundum Ecclesiae catholicae doctrinam.

Spreta Ecclesiae catholicae doctrina et auctoritate, ejusque circa humanam societatem juribus conculcatis, subintroierunt nostris temporibus magistri mendaces, qui non solum Ecclesiae, sed etiam omnis humani consortii hostes, dominationem contemnunt,[2]) ita ut nulla lege, nisi quam ipsi sponte susceperint, obligari se posse dicant, omnemque sublimiorem potestatem ab ipsis independentem pro injusto dominatu habeant, quem pro lubitu abjicere atque evertere liceat: immo etiam

[1]) Cf. Matth. XVI. 26. [2]) Cf. II. Pet. II. 10.

contra manifestam Dei legem affirmant, omnes homines ex lege naturae ita aequales juribus esse, ut tum privata possessionum proprietas tum alia quaevis unius prae reliquis praerogativa injusta censeri et abrogari debeat.

Alii autem falsam civilis societatis speciem ac formam animo suo effingentes statum politicum, quem vocant, constituunt fontem omnis inter homines auctoritatis omnisque juris, ita ut ab eodem statu politico ejusque lege tum jus proprietatis privatae unice derivari, tum societatem domesticam seu familiam suae existentiae totam rationem mutuari, omniaque parentum in filios jura dimanare ac pendere affirment, tum in ejus lege vel in majoris numeri civium placitis et in publica, ut dicunt, opinione positam esse velint supremam normam conscientiae et officiorum pro publicis et socialibus sive imperantium sive subditorum actionibus. Quin et eo usque non paucos progressos esse videmus, ut fortunatis eventibus vim juris tribuentes audeant dicere, id quod ex lege morali esset injustum, si felicem habeat exitum, eo ipso in publicis rebus ac negotiis ex lege politica justum evadere et honestum, quasi vero lex moralis ad sociales et politicos actus non aeque ac ad privatos sese porrigeret. At haec humanae superbiae figmenta non alio tendunt, quam ut incommutabilis sanctitas et justitia aeterni Dei auferatur a recordatione filiorum hominum, in eorum animis sensus extinguatur justi et injusti, et inficiatur terra ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum.[1])

Contra hujusmodi errores, qui etiam inter catholicos populos serpere coeperunt, omnibus in mentem revocandam statuimus doctrinam catholicam, ut ea integra et inviolata custodiatur. Docemus igitur, quod ab Apostolo traditum semper docuit Ecclesia, omnem legitimam potestatem, ideoque etiam civilem, Deum habere auctorem. „Omnis anima, scribit Apostolus,[2]) potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi a Deo, quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt;“ et ex ejusdem Apostoli sententia, qui hanc potestatem tenet, Dei minister est sive bonum facientibus in bonum, sive malum agentibus vindex in iram,[3]) atque ideo subditorum obedientiam jure suo postulat. Nemo itaque docere audeat, licitum esse huic legitimae potestati vi resistere, aut per detestandum facinus eam conjurationibus ac rebellione evertere, qui enim resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.[4])

---

[1]) Cf. Is. XXIV. 5. [2]) Rom. XIII. 1. [3]) Cf. ib. vers. 3. 4.
[4]) Rom. XIII. 2.

Pari vero ratione docemus, imperantibus in suae potestatis usu eandem normam divinae legis esse sequendam. Lex enim moralis sive lumine rationis sive per supernaturalem revelationem manifestata sicut pro hominibus actionibusque privatis, ita non minus pro iis qui praesunt, et pro publicorum munerum administratione actibusque socialibus ac politicis posita est. Norma itaque agendi non in utilitate, aut in multitudinis opinione ac voluntate constitui potest, quando ad illicita ac Dei legi repugnantia impellunt: sed necessaria morum regula sicut pro subditis ita pro imperantibus etiam in ipsorum muneribus administrandis est lex Dei jubentis aut vetantis, secundum quam omnes in supremo judicio communi Domino aut stabunt aut cadent. De ipsa autem agendi norma judicium, quatenus de morum honestate, de licito vel illicito statuendum est, pro civili etiam societate publicisque negotiis ad supremum Ecclesiae magisterium pertinet. Sane in via salutis aeternae omnibus tam subditis quam principibus Ecclesia a Deo constituta est dux et magistra. Neque de imperantibus minus verum est: qui Ecclesiam matrem non habet, Deum patrem habere non potest. Ut igitur Regem regum patrem ac propitium habere possint, Ecclesiam se matrem habere re et opere comprobare studeant; neque licere sibi existiment sive in privatis sive in publicis negotiis ob politicas rationes Dei et sanctae matris Ecclesiae leges ac jura violare.

CAPUT XV.

De specialibus quibusdam Ecclesiae juribus in relatione ad societatem civilem.

Inter sanctissimorum jurium violationes, quae nostra aetate ad nationes erroribus inficiendas corrumpendosque in eis mores christianos perpetrantur, illa est vel maxime perniciosa, qua fraudulenti homines contendunt, scholas omnes directioni ac arbitrio solius potestatis laicae subjiciendas esse, ita ut auctoritas Ecclesiae ad providendum religiosae institutioni et educationi juventutis christianae omnino impediatur. Quin eo usque progressi sunt, ut ipsam catholicam religionem a publica educatione arcere, atque universim scholas nullius professionis religiosae, sed litterarias tantummodo esse debere dicant. Contra hujusmodi sanae doctrinae morumque corruptelas ex ipso fine Ecclesiae a Christo Salvatore fundatae, ut homines per salutarem fidem ac disciplinam docendo regendoque ad vitam aeternam adducat, ab omnibus agnoscendum est jus et officium,

quo ipsa pervigilat, ut juventus catholica in primis vera fide et sanctis moribus rite instituatur.

Hanc iniquitatem cumularunt alia usurpatione. Ipsam enim Clericorum educationem ac institutionem in disciplinis ecclesiasticis tum in aliis publicis scholis tum in ipsis Seminariis efficaci directioni ac vigilantiae Ecclesiae subducere et potestati laicae mancipare praesumunt contra jus proprium Ecclesiae, quo maxime in suis ministris sanitati catholicae doctrinae et sanctitati vitae ecclesiasticae providere debet. Quin etiam eos ipsos, qui in sortem Domini vocantur, a sancta sua vocatione per vim avellere et iniquissima lege subjicere militiae saeculari alicubi veriti non sunt, atque ita quantum in ipsis est, Ecclesiam necessariis ad docendum, regendum et sanctificandum populum Dei ministris privare conantur. Quare declaramus et docemus, jura praedicta atque officia ad Ecclesiam pertinere, et esse cum ejus magisterio divinitus instituto, cum ipsius constitutione ac fine intime conjuncta, adeoque humanis legibus non posse auferri.

Alia gravis injuria Sanctae Ecclesiae infertur ab illis, qui professionem perfectionis evangelicae in Ordinibus Institutisque religiosis ab eadem Ecclesia approbatis iniqua oppugnatione persequuntur, atque affirmare audent, professionem religiosam juribus naturae libertatisque humanae contrariam, vel ex regnis et civitatibus nostrae aetatis eliminandam esse, quod illa profectui ac felicitati populorum opponatur; eoque magis dolendum, quod inter ipsos legum latores, qui se catholicos profitentur, non desint, qui in hac re Ecclesiae jus conculcare et iniquis legibus, quantum valent, irritum reddere non vereantur.

Quoniam vero sponsa Jesu Christi ipsam divini sponsi sui vitam et exemplum in se suisque membris exprimere, atque jugiter sanctitatis praerogativa fulgere debet, idem Dominus Noster Jesus Christus non solum sancta dedit mandata omnibus, si volunt ad vitam ingredi, necessario servanda; sed etiam pro Ecclesia praemonstravit in suo evangelio statum perfectionis, quo ii, qui Deo vocante capiunt verbum istud, relictis omnibus, ut thesaurum habeant in coelis, ipsum Jesum Christum propinquiori imitatione sequantur.[1]) Consilia haec Jesu Christi ad Ecclesiam sponsam ac reginam ornandam varietatibus [2]) non potuerunt manere irrita; unde operante divina gratia omnibus Ecclesiae aetatibus plurimi utriusque sexus crucis Christi sectatores in hac via ipsum Dominum ducem ac magistrum secuti sunt. Ut sic vocatis evangelicam perfectionem consectandi

[1]) Cf. Matth. XIX. 11. 12. 17—29.
[2]) Cf. Ps. XLIV. 10—16.

media non deessent, providentissima mater Ecclesia semper sedulo curavit. Leges enim pro summa auctoritate vel ipsa tulit vel a sanctissimis viris propositas probavit, quibus religiosa vita et professio firma ac tuta consisteret, ut ad sanctum suum finem dirigeretur. Quamvis igitur non omnes vocati sint ad hanc vitae rationem in consiliis evangelicis voluntarie ac perpetuae paupertatis, continentiae, et obedientiae sequendam: attamen ex constanti Ecclesiae declaratione atque usu omnibus necesse est aestimare, eam apostolicae doctrinae consentaneam esse et ad christianam perfectionem conducere. Ii vero, quibus datum est a Patre Christum vocantem audire et sequi, ultra praeceptorum observationem consilia quoque evangelica in institutis religiosis non solum activae sed etiam contemplativae vitae secundum modum ab Ecclesia approbatum pie et laudabiliter amplectuntur, ac divina gratia opitulante possunt et tenentur, quae voverunt, reddere Domino Deo. Quare tum haec Ecclesiae et fidelium jura tum suscepta votis religiosis officia in supernaturali Dei lege ac ordinatione fundantur, qua Christus sapientia aeterna in sancta Ecclesia sua viam perfectionis evangelicae monstravit ac disposuit; nec illa politicis legibus sive dirigi sive deleri possunt.

Damnamus igitur tum doctrinam, qua professio religiosa illicita vel vero profectui populorum noxia, ac propterea eliminanda esse dicitur, tum impios hominum conatus, qui commemorata Ecclesiae ac fidelium jura invadunt, et tantam ipsi Deo ac sanctae religioni catholicae irrogant injuriam.

Hic porro aliam sacrilegam injustitiam, quae contra matrem Ecclesiam crudeliter et in dies latius grassatur, iterum damnare et perniciosissimas fallacias, quibus homines mendaces illam obvelare student, proscribere necesse Nobis est. Dicunt nimirum, jus Ecclesiae, acquirendi et possidendi bona temporalia, esse subjectum arbitrio status politici, et ab ejus libera concessione jugiter pendere, ita ut potestas politica vi suae supremae auctoritatis possit illud jus abolere, latisque legibus sibi vindicare velut bona domino vacua, quae legitimo proprietatis titulo sunt in possessione Ecclesiae; aut affirmant, dispositionem ac distributionem bonorum ecclesiasticorum non secus ac eorum, quae publica sunt totius nationis, pertinere ad nativum jus supremae potestatis politicae. Hujusmodi autem perversis doctrinis impugnantur jura Ecclesiae certissima, quae ex ipsa ejus divinitus data constitutione promanant. Ecclesia namque cum sit perfecta societas divino jure constituta, supernaturalis quidem, sed eadem societas visibilis ex hominibus et ad hominum salutem in terris consistens, propterea rebus etiam visibilibus et externis atque inter haec bonis quoque tempora-

libus utitur et juvatur tamquam mediis ad divinam suam missionem adimplendam et ad finem sibi a Christo Salvatore propositum assequendum. Ad hanc enim suam missionem Ecclesia visibilis ex natura sua et ex divina institutione ministros proprios habet ex hominibus assumptos et pro hominibus constitutos, qui non potestati saeculari subordinati, sed ab ea independentes sacris muneribus fungantur; atque ideo jure suo Ecclesia eis prospicit, ut juxta ordinationem Domini, qui evangelium annuntiant, de evangelio vivant:[1]) ejusdemque Ecclesiae sicut officium ita proprium jus est, providendi tum decori externi divini cultus, tum multiplicibus indigentium membrorum Christi necessitatibus, tum aliis, quae opportuna judicaverit, christianae charitatis et pietatis operibus. His vero muneribus Ecclesiae atque officiis exsequendis cum secundum ordinem divinae providentiae bona temporalia subserviant, sane illud jus acquirendi ac possidendi titulo proprietatis, quod mere humanis societatibus legitime constitutis competere potest, in Ecclesia non deficit, sed in ea, ut in societate divinitus et ad altiorem finem instituta et ab imperiis mundanis independente, etiam sanctius est ac superioris ordinis, quia bona hujusmodi mystico corpori Christi, et per hoc ipsi Christo Deo specialius dicata sunt.

Quare docemus, Ecclesiae, ut societati visibili a Deo inter homines constitutae, jus esse, bona temporalia acquirendi et possidendi, neque hoc jure eam a quavis potestate saeculari privari posse; ac propterea praedictos errores damnamus, et leges quibus status politicus tanquam ex supremo jure sibi inhaerente bona ecclesiastica usurpat, injustas spoliationes esse declaramus.

Haec sunt, quae generatim visum Nobis est, Christi fideles circa Ecclesiam Christi docere; his autem contraria certis et propriis Canonibus in hunc qui sequitur modum damnare, ut omnes, adjuvante Christo fidei regula utentes, catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere possint.

---

[1]) Cf. I. Cor. IX. 14.

CANONES
DE ECCLESIA CHRISTI.

I.

Si quis dixerit, Christi religionem in nulla peculiari societate ab ipso Christo fundata extantem et expressam esse, sed a singulis seorsum, non habita ratione ad ullam societatem, quae vera ipsius Ecclesia sit, rite observari et excoli posse; anathema sit.

II.

Si quis dixerit, Ecclesiam a Christo Domino nullam certam ac immutabilem constitutionis formam accepisse, sed aeque ac reliquas hominum societates, pro temporum diversitate vicissitudinibus et transformationibus subjectam fuisse, aut subjici posse; anathema sit.

III.

Si quis dixerit, divinarum promissionum Ecclesiam non esse societatem externam ac conspicuam, sed totam internam ac invisibilem; anathema sit.

IV.

Si quis dixerit, veram Ecclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque christiani nominis societatibus constare, per easque diffusam esse; aut varias societates ab invicem fidei professione dissidentes atque communione sejunctas, tanquam membra vel partes unam et universalem constituere Christi Ecclesiam; anathema sit.

V.

Si quis dixerit, Ecclesiam Christi non esse societatem ad aeternam salutem consequendam omnino necessariam; aut homines per cujusvis religionis cultum salvari posse; anathema sit.

VI.

Si quis dixerit, intolerantiam illam, qua Ecclesia catholica omnes religiosas sectas a sua communione separatas proscribit

et damnat, divino jure non praecipi; aut de veritate religionis opiniones tantum non autem certitudinem haberi posse; ideoque omnes sectas religiosas ab Ecclesia tolerandas esse; anathema sit.

VII.

Si quis dixerit, eandem Christi Ecclesiam posse offundi tenebris, aut infici malis, quibus a salutari fidei morumque veritate aberret, ab originali sua institutione deviet, aut depravata et corrupta tandem desinat esse; anathema sit.

VIII.

Si quis dixerit, praesentem Christi Ecclesiam non esse ultimam ac supremam consequendae salutis oeconomiam, sed exspectandam esse aliam, per novam vel pleniorem divini Spiritus effusionem; anathema sit.

IX.

Si quis dixerit, Ecclesiae infallibilitatem ad ea tantum restringi, quae divina revelatione continentur, nec ad alias etiam veritates extendi, quae necessario requiruntur, ut revelationis depositum integrum custodiatur; anathema sit.

X.

Si quis dixerit, Ecclesiam non esse societatem perfectam, sed collegium; aut ita in civili societate seu in statu esse, ut saeculari dominationi subjiciatur; anathema sit.

XI.

Si quis dixerit, Ecclesiam institutam divinitus esse tanquam societatem aequalium; ab episcopis vero haberi quidem officium et ministerium, non autem propriam regiminis potestatem, quae ipsis divina ordinatione competat, quaeque ab iisdem sit libere exercenda; anathema sit.

XII.

Si quis dixerit, a Christo Domino et Salvatore nostro Ecclesiae suae collatam tantum fuisse potestatem dirigendi per consilia et suasiones, non vero etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriori judicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi; anathema sit.

XIII.

Si quis dixerit, veram Christi Ecclesiam, extra quam nemo salvus esse potest, aliam esse praeter unam, sanctam, catholicam, et apostolicam Romanam; anathema sit.

XIV.

Si quis dixerit, beatum Petrum Apostolum a Christo Domino constitutum non esse Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eum tantum honoris, non autem verae propriaeque jurisdictionis primatum accepisse; anathema sit.

XV.

Si quis dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

XVI.

Si quis dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem jurisdictionis in universam Ecclesiam; aut hanc ejus potestatem non esse ordinariam et immediatam in omnes ac singulas ecclesias; anathema sit.

XVII.

Si quis dixerit, potestatem ecclesiasticam independentem, quam Ecclesia catholica sibi a Christo tributam esse docet, supremamque potestatem civilem non posse simul consistere, ita ut jura utriusque salvà sint; anathema sit.

XVIII.

Si quis dixerit, potestatem, quae ad regendam civilem societatem necessaria est, non esse a Deo; aut eidem ex ipsa Dei lege subjectionem non deberi; aut eam naturali hominis libertati repugnare; anathema sit.

XIX.

Si quis dixerit, omnia inter homines jura derivari a statu politico; aut nullam nisi ab ipso communicatam dari auctoritatem; anathema sit.

XX.

Si quis dixerit, in lege status politici, vel in publica hominum opinione constitutam esse pro publicis ac socialibus actionibus supremam conscientiae normam; aut ad easdem non extendi Ecclesiae judicia, quibus ea de licito et illicito pronuntiat; aut vi juris civilis fieri licitum, quod jure divino vel ecclesiastico est illicitum; anathema sit.

XXI.

Si quis dixerit, leges Ecclesiae vim obligandi non habere, nisi quatenus civilis potestatis sanctione firmentur; aut eidem civili potestati vi suae supremae auctoritatis competere, in causis religionis judicare et decernere; anathema sit.

SECTIO TERTIA.

POSTULATA, QUAE PERTINENT AD RES DOGMATICAS.

1. POSTULATUM

CONTRA ONTOLOGISMUM.

In ea Sessione, in qua sermo habitus est de *Ontologismo* Excellentissimus et Reverendissimus Gasser Episcopus Brixinensis nomine Congregationis rebus Fidei praepositae affirmabat, quaestionem illam non esse eo loco leviter et perfunctorie attingendam, sed alibi opportunius de ea agendum, ut tota res melius et plenius definiretur.

Huic declarationi inhaerentes infrascripti Cardinales Episcopi, ne controversia nimis late pateat, damnandam proponerent illam dumtaxat Ontologismi formam, quae aperte catholicae doctrinae opponitur, et fundamentum est multorum errorum qui nunc late pervagati sunt: et continetur in illa propositione: „Naturalis est homini cognitio Dei directa et immediata."

Ex alia parte non videtur expedire, ut Concilium Vaticanum penitus de Ontologismo sileat. Ex hoc enim silentio Ontologistae statim vires resumerent, suas controversias restaurarent, ipsa Romanae Congregationis responsa (18 Septembris 1861) infirmarent, et huic Sedi turbas et molestias crearent. Cum vero S. R. U. Inquisitionis Congregatio (18 Septembris 1861) allatam propositionem tuto tradi non posse decreverit, et multi Episcopi (praesertim Neapolitani in sua epistola collectiva ad Clerum saecularem et regularem 28 Junii 1862) Ontologismum graviter reprehenderint; Christi fideles hujus damnationis confirmationem expectare videntur: qui insuper mirarentur, ex totius orbis partibus Episcopos in Vaticanum Concilium coactos fuisse, ut pantheismum et rationalismum aliosque errores, quos

per se ipsi cavere poterant, damnarent; errores vero illos qui ad haec monstra viam sternunt intactos reliquisse. Quapropter proponitur damnanda a Concilio Vaticano sequens propositio:

„Naturalis est homini cognitio Dei immediata et directa."

I.

Satis est hujus propositionis terminos intelligere, ut statim innotescat, eam opponi veritati illi catholicae qua credimus, visionem Dei intuitivam qua beati perfruuntur, esse supernaturalem. Quid enim sibi vult cognitio immediata alicujus rei? Cognitio immediata distinguitur a cognitione mediata in eo quod cognitio immediata ea est, qua res cognoscitur in se ipsa; mediata vero ea est per quam res cognoscitur in alio. Ex. gr. cognitio qua objectum mihi praesens video est immediata; cognitio qua illud objectum video in speculo est mediata. Nam in primo casu objectum in se sine ullo medio video; in secundo video immediate imaginem ejus, et hac mediante venio in cognitionem objecti quod illa repraesentat. (V. S. Th. 1. p. q. XII. a. 9. et q. LIV. a. 3. et in epist. ad Corinth. c. XIII. lect. XV.)

II.

Animadvertendum praeterea, immediatam Dei cognitionem esse idem ac immediatam Dei visionem, ut notat S. Th. cont. gent. Lect. 3. c. 53. Et sane Deum immediate cognoscere est cognoscere Deum non per ullam ideam seu similitudinem a creaturis derivatam, aut a Deo ipso in anima impressam, sed est cognoscere Deum in se ipso, seu per ejus essentiam. (S. Th. Lect. 4. sent. dist. 49. q. 2. a. 1.). Hoc autem fieri nequit nisi ipse Deus sese praesentem menti videndum exhibeat, ita ut mens eum videat non per aliquam speciem sed per ipsam ejus essentiam, idest immediate et directe. Ergo immediata et directa Dei cognitio est immediata et directa ejus visio. Insuper Ontologi id aperte profitentur et docent, Deum humanae menti seipsum immediate videndum praebere, ea ratione qua lux oculis nostris affulgens objecta ipsis exhibet et visibilia efficit.

III.

Hoc posito, quantopere haec Dei visio catholicae fidei opponatur, videamus. Scholastici Sanctos Patres secuti non

modo evidenter ostendunt, immediatam Dei visionem naturaliter repugnare cuicumque intellectui creato (S. Th. 1. p. q. 12. a. 4,) et multo magis homini in *statu viae*, ut loquuntur Theologi (S. Th. ibid. a. 11. et qq. dd. de Ver. q. 13. a. 3.); sed praeterea docent, unicam esse viam qua humana mens Dei cognitionem acquirere potest, et hanc non esse aliam quam ut incipiat ab iis quae facta sunt, seu a creaturis, et assurgat *arguendo* ad cognitionem Dei. Sufficit in re notissima unum vel alterum S. Thomae locum indicare. In qq. dd. de Ver. q. 18. a. 2. ait: „Nos aliter Deum notum habere non possumus, nisi ex creaturis ad ejus notitiam veniamus.“ Et Sent. L. 1. dist. 3. q. 1. „Naturalis ratio non cognoscit Deum nisi ex creaturis.“ Juxta S. Patres Dei cognitio in hac vita acquiri non potest, nisi aut per fidem aut per argumentum a creaturis deductum, ut legere est apud Petavium Theol. Dog. L. 7. c. 1. Theologi post Auctorem librorum de Divinis nominibus Lib. 1. c. 7. triplicem modum statuunt quo Dei cognitio a creatis rebus deducitur, scilicet *per effectum*, *per remotionem*, *per excessum*. Jam vero quocumque modo explicetur immediata Dei cognitio, ea semper differt a cognitione *arguitiva*, seu *deductiva:* quia *intuitio* et *deductio* sunt duo cognitionis processus diversi et oppositi. Igitur immediata Dei cognitio, utcumque explicetur, opponitur doctrinae Patrum et Scholasticorum.

Animadvertendum insuper, Sanctos Patres et Scholasticos docere, processum hunc *a posteriori* esse necessarium, non ut immediata Dei cognitio quae humano intellectui naturaliter inesse dicitur clara et distincta tantummodo reddatur, sed ut humana mens ad Dei cognitionem perveniat ejusque existentiam contra atheos demonstrare possit: ut aperte patet tum ex fine quem sibi proponunt, tum ex modo quo suas demonstrationes conficiunt. Jam vero immediatae Dei cognitionis defensores illud contendunt, probationes nempe *a posteriori* a Patribus et Scholasticis caeterisque Theologis pro existentia Dei allatas valere quidem pro periodo reflexa et secundaria, ut ipsi loquuntur, non autem pro directa et prima: hoc est non valere ad demonstrandam Dei existentiam, sed solum ad efficiendam claram et distinctam cognitionem illam immediatam, qua juxta ipsos anima nostra naturaliter praedita est.

IV.

Omnes Theologi catholici non modo ex sacris Scripturis et S. Patribus statuunt tanquam fidei dogma, non posse humanam mentem in statu viae habere naturaliter cognitionem

Dei intuitivam, verum etiam idipsum confirmant auctoritate Concilii Viennensis an. 1300 sub Clemente V. celebrati. Hoc Concilium Beguardos damnavit, qui dicebant: „Anima non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad videndum Deum.“ Quo praemisso, sic arguendum videtur: Certe *lumine gloriae* non amplius indiget humanus intellectus ut ad Dei visionem perveniat, si visio Dei est ipsi naturalis, ut patet. Igitur et incurritur damnatio Concilii, et visio beatifica non erit amplius supernaturalis. Haec videntur per se manifesta.

V.

At cognitionis immediatae adsertores hanc Concilii damnationem vitare conantur. Dicunt aliqui 1. Concilium damnat eos, qui contendebant posse ab humana mente in statu viae videri essentiam Dei; nos docemus videri non essentiam sed substantiam Dei. Sed haec etiam sanae doctrinae opponuntur. Cum enim Deus sit infinite simplex, nulla in eo est distinctio inter essentiam et substantiam. Quapropter fieri nequit, ut humana mens in videndo Deo videat ejus substantiam et non ejus essentiam. Praeterea cum in Deo esse et essentia non distinguantur, ut docent theologi, nequit videri Deus, nisi ejus essentia videatur.

VI.

Alii dicunt 2. Mens humana habet intuitum naturalem Dei, non quatenus videt ejus essentiam, sed quatenus videt attributa Dei, ita ut terminus naturalis intuitus non sit essentia sed divina attributa. Sed etiam haec evasio opponitur doctrinae catholicae, quae negat omnem distinctionem realem inter attributa et essentiam. At si omne attributum Dei est ipsa ejus essentia, nequit humana mens intueri aliquod Dei attributum, quin simul ejus essentiam intueatur. Praeterea si humana mens attributa Dei intuetur, non poterit ea certe intueri nisi ubi sunt, seu ut concedunt adversarii, in essentia divina. Sed non potest una res cognosci in alia tanquam in objecto cognito (ut notat S. Thom. 1. p. q. 84. a. 5), quin cognoscatur etiam objectum in quo ipsa cognoscitur. Non posset ergo mens intueri attributa Dei, quin ejus etiam essentiam intueretur.

VII.

Dicunt 3. alii, intuitum Dei naturalem esse obscurum, intuitum beatorum esse clarum. Quae etiam evasio vana est. Nam si est visio Dei *immediata*, est cognitio clara et distincta

quae beatum faceret videntem. S. Thom. hanc evasionem unanimi Scripturarum testimonio contrariam declarat, et concludit differentiam inter cognitionem Dei, quae propria est beati et cognitionem viatoris, non in eo positam esse quod ille *dilucide*, hic autem *obscure* Dei essentiam videat, sed in hoc quod ille *videt*, hic *non videt* essentiam Dei. En verba S. Doctoris qq. dd. de Verit. q. 18. a. 1. „Quidam dixerunt, quod Deum per essentiam videre non solum contingit in patria, sed in via, quamvis non ita perfecte in via sicut in patria . . . Sed istud dictum contrarium est Scripturae testimoniis quae concorditer in divina visione beatitudinem ultimam hominis ponunt. Unde ex hoc ipso quod aliquis Deum per essentiam videt, beatus est . . . Non est autem possibile, ut ultimus terminus perfectionis humanae accipiatur secundum aliquem modum intelligendi, quia in istis modis intelligendi possunt considerari infiniti gradus, quo unus alio perfectius intelligit; unde oportet quod ultimus terminus humanae perfectionis sit in intelligendo aliquod perfectissimum intelligibile, quod est essentia divina. In hoc igitur unaquaeque rationalis creatura beata est, quod essentiam Dei videt, non ex eo quod ita *limpide* vel plus vel minus eam videt. Non igitur visio beati a visione viatoris distinguitur per hoc quod est *perfectius et minus perfecte* videre, sed per hoc quod est *videre* et *non videre.*"

VIII.

Contra has aliasque similes Ontologorum evasiones notandum est, Concilium damnando Beguardos qui dicebant posse Deum videri ab anima sine *lumine gloriae*, nullam fecisse distinctionem inter substantiam et essentiam, inter essentiam et attributa, inter visionem claram et obscuram. Ex quo videtur colligi immediatam Dei visionem, utcumque ea explicetur, effugere non posse Concilii damnationem.

IX.

Ut brevitati consulatur, omittimus hanc immediatam Dei cognitionem conciliari non posse cum alia veritate catholica a Conc. Viennensi (Clement. de Summa Trinit. et Fid. cath. tit. 4.) definita, et in Lateranensi sub Leone X confirmata (Sess. VIII can. Apostolici Regim.) „anima intellectiva est forma humani corporis per se et essentialiter". Nam ex hac definitione sequitur animam non posse naturaliter cognoscere immateriale in se ipso, sed sub forma aliqua sensibili: cum notum sit axioma „Modus operandi conformis est modo existendi". Omit-

timus pariter, posita immediata Dei cognitione, *raptum* et *prophetiam* non esse amplius extraordinaria facta et miraculosa, eo modo quo explicantur a S. Augustino aliisque Patribus et Scholasticis per extraordinariam intellectus elevationem et sentientium facultatum suspensionem. Nonnullas potius Ontologismi sequelas attingamus.

X.

Ontologismus viam late sternit *rationalismo.* Si enim mens nostra non a creatis rebus ad Dei cognitionem ascendit, sed ad immediatam ejus visionem admittitur, Deum naturaliter intuebitur eo modo quo est, scilicet non solum prout est unus in natura, sed etiam ut est trinus in personis; quia immediata alicujus objecti cognitio postulat, ut objectum prout reipsa est in se ipso cognoscatur. Mysteria igitur aeque ac naturales veritates a mente nostra naturaliter cognosci possent, nec *excederent vires nativas humanae intélligentiae,* quod aperte affirmant nonnulli Ontologi ex. g. Thomas Moruz et Franciscus Lavarino, quorum sunt verba notata (Enciclop. scientif. per Tom. Moro e Fr. Lavarino vol. 1. pag. 312, 314 Torino 1856). Hinc recte scribebat Zarelli: „Si vera esset Ontologorum sententia, omnes homines naturaliter essent beati comprehensores, et Deum ipsum vere possiderent; nec ratio esset cur ulterius Christo, redemptione et Ecclesia indigerent“ (Sist. Filos. di Gioberti cap. 10. p. 30; Parigi 1848).

XI.

Viam sternit et *Pantheismo.* Notum omnibus est rerum intelligibilitatem nil aliud esse, nisi ipsam earum realitatem. „Verum est id quod est“ inquit S. Augustinus. Et haec est ratio quare omnes Pantheistae toti in eo sunt ut negent rebus propriam intelligibilitatem, optime pervidentes, quod negata semel rebus intelligibilitate sibi propria, neganda est etiam ipsa earum realitas. At vero juxta Ontologos res non sunt intelligibiles in seipsis, sed solum in Deo. Igitur res non habent in seipsis realitatem sibi propriam, sed habent in Deo, ut docent Pantheistae. Praeterea, si audias Ontologos, Deus est, in quo et per quem res intelligimus; ipse est lumen intelligibile humanae mentis, ac proinde Deus pertinet ad essentiam animae nostrae, quemadmodum ad essentiam animae nostrae certe pertinet lumen intelligendi. Adde quod si Deus est lumen intelligibile humanae mentis, lumen quo omnes humanae mentes intelligunt esset numerice idem seu in omnibus unicum.

Si unicum esset in omnibus humanis mentibus lumen intelligibile, unica etiam esset in omnibus hominibus potentia intellectiva; quia cum lumen intelligibile debeat esse intrinsecum potentiae intellectivae, unitas numerica luminis arguit unitatem numericam intellectivae potentiae. Unica autem potentia intellectiva non posset esse nisi infinitus Dei intellectus: quia lumen infinitum nonnisi ad potentiam infinitam pertinere potest. Igitur si Deus esset lumen intelligibile mentis humanae, una esset mens seu ratio, seu intellectus omnium hominum; et haec unica ratio ,esset ipsissima Dei ratio.

Et sane si theoria haec immediatae Dei cognitionis in historia philosophiae consideretur, ea semper in diversis systematibus apparet vel ut corollarium necessarium pantheismi, vel ut ejus necessarium principium. Ita ex. g. est pantheismi corollarium in systemate Spinosae, Schellingii et Hegelii. Spinosa enim ex pantheistico principio: „mentem humanam esse modum infinitae cogitationis Dei,“ docuit perfectam cognitionem acquiri per intuitum ideae entis perfectissimi ex qua caeterae ideae deducuntur, et humanam rationem unum idemque esse cum divina (Eth. p. 2. et in tract. de emend. intellect.). Schelling ex principio pantheistico: „humanum spiritum non esse nisi quandam formam sub qua Absolutum se manifestat“ deduxit, humanum spiritum intueri in se evolutionem Absoluti, ac proinde habere naturaliter imo essentialiter intuitionem intellectualem Absoluti sub duabus formis, spiritus nempe et materiae, sese manifestantis (V. ejus systema idealis transcend. vers. Grimblot. Paris 1842). Hegel denique docens humanum spiritum esse ipsam ideam-ens, quae in tertio evolutionis momento sui conscientiam acquirit, eo se tendere affirmat, ut intellectualem Absoluti intuitionem demonstret, quam Schelling sine demonstratione admiserat.

Contra immediata Dei cognitio tanquam pantheismi principium se exhibet in systemate Malebranchii ejusque discipulorum usque ad Giobertium. Illi enim ex eo quod immediatam Dei cognitionem per intuitionem humanae menti naturalem et necessariam esse dixerint, eo tandem adducti sunt, ut docerent, humanam rationem idem esse cum divina ratione, aliasque hujusmodi doctrinas tradiderunt, quae ut clarissimi viri ostenderunt, nonnisi cum pantheismo componi possunt.

XII.

Ex Ontologismo sequitur et Eclecticismus. Nam si omnia in Deo cognoscimus, mens nostra erroris capax esse non potest, et diversae et oppositae philosophorum opiniones sunt

semper quaedam partes ac veluti facies veritatis: quod ajunt Eclectici.

XIII.

Etiam in ordine practico, qui in theoretico fundatur, pessimae consequentiae ex eadem doctrina inferuntur. Homine enim semel admisso ad immediatam cum Deo communicationem, aperitur aditus ad Theosophiam quandam mysticam et occultam qua facile persuaderi possunt et a culpa liberari actiones quaelibet, et superbus cujuslibet auctoritatis aut legis contemptus, non sine magno moralis et socialis ordinis detrimento. Nam in operibus et libris Liberalium Ontologismus plerumque dominatur, et tradi solet tanquam doctrina suis propositis praeparanda peropportuna; et Giobertius ex hac philosophia intuitus infert, naturalem ordinem et supernaturalem re non differre, Theologiam esse progressum naturalem philosophiae, imo utramque esse unam eandemque scientiam etc.

XIV.

His aliisque rationibus, quas, ne nimii simus, omittimus permoti, postulamus, ut haec pernicies, quae late vagatur et qua incauti saepe decipiuntur, pro salute tot animarum quae pereunt a catholico grege, per Vaticanum Concilium avertatur; et quod a Romanis Congregationibus incoeptum est, a Concilio perficiatur.

† Xystus Cardinalis Riario Sforza
Archiep. Neapolit.

† Joachim Cardinalis Pecci
Episcopus Perusinus.

2. POSTULATA

PRO DOGMATICA DEFINITIONE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILIS MAGISTERII.

Quadringentorum Patrum in hoc Sacrosancto Concilio praesentium, nostroque nomine exhibemus Eminentiae Vestrae Revmae ad normam a Sanctissimo Domino in Litteris Apostolicis „Multiplices inter“ praescriptam, preces quibus a Sanctis-

simo Domino unanimi voto humillime postulamus, ut apertis, claris, omnemque dubitationem excludentibus verbis, Summi Pontificis, dum aliquid in rebus fidei et morum statuit et praecipit, infallibilitatem in hac Sacra Oecumenica Synodo sancire et definire dignetur. Rationes, quae nos impellunt ad postulandam hujusmodi definitionem, in foliis, quae sapienti judicio Sacrae Pontificiae Congregationis, cui Eminentissime Domine praees, submittimus, breviter expositae inveniuntur.

Multos e Patribus Concilii, qui nomina sua precibus nostris, peculiaribus causis detenti, non apposuerunt, non eo minus definitionem hujus partis doctrinae catholicae in votis habere compertum nobis est; alii vero, qui sententiam suam contra opportunitatem definitionis praedictae publici juris fecerunt, veritatem ipsam nequaquam in dubium vocare ausi sunt; unde a Deo factum esse videtur, quod cum unanimes sint nobiscum circa rei substantiam, communem etiam nobiscum nacti sint de opportunitate sententiam; nos enim pariter non opportunam definitionem esse judicamus, sed omni sub respectu ineluctabiliter necessariam.

Placeat itaque Eminentiae Vestrae Reverendissimae, preces has nostras benigne excipere, atque ut a Sacrosancto Concilio Vaticano doctrina de Romani Pontificis infallibilitate sanciatur et definiatur, a Sanctitate Sua impetrare.

Datum Romae die 28. Januarii 1870.

Antonius Petrus IX. Hassun
Patriarcha Ciliciensis Armenorum.

Miecislaus Ledochowski Archiep. Gnesnen. et Posnan.
Poloniae Primas.

SACRO CONCILIO OECUMENICO VATICANO.

A Sacra Oecumenica Synodo Vaticana infrascripti Patres humillime instanterque flagitant, ut apertis, omnemque dubitandi locum excludentibus verbis sancire velit supremam, ideoque ab errore immunem esse Romani Pontificis auctoritatem, quum in rebus fidei et morum ea statuit ac praecipit, quae ab omnibus Christifidelibus credenda et tenenda, quaeve rejicienda et damnanda sint.

Huic postulationi subscripserunt 369 Concilii Patres.

RATIONES OB QUAS HAEC PROPOSITIO OPPORTUNA ET NECESSARIA CENSETUR.

Romani Pontificis, beati Petri Apostoli successoris, in universam Christi Ecclesiam jurisdictionis, adeoque etiam supremi magisterii primatus in sacris Scripturis aperte docetur.

Universalis et constans Ecclesiae traditio tum factis tum sanctorum Patrum effatis, tum plurimorum Conciliorum, etiam oecumenicorum, et agendi et loquendi ratione docet, Romani Pontificis judicia de fidei morumque doctrina irreformabilia esse.

Consentientibus Graecis et Latinis, in Concilio II Lugdunensi admissa professio fidei est, in qua declaratur: „Subortas de fide controversias debere Romani Pontificis judicio definiri." In Florentina itidem oecumenica Synodo definitum est: „Romanum Pontificem esse verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum patrem et doctorem; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse." Ipsa quoque sana ratio docet, neminem stare posse in fidei communione cum Ecclesia catholica, qui ejus capiti non consentiat, quum ne cogitatione quidem Ecclesiam a suo capite separare liceat.

Attamen fuerunt atque adhucdum sunt, qui, catholicorum nomine gloriantes, eoque etiam ad infirmorum in fide perniciem abutentes, docere praesumant, eam sufficere submissionem erga Romani Pontificis auctoritatem, qua ejus de fide moribusque decreta obsequioso, ut ajunt, silentio, sine interno mentis assensu, vel provisorie tantum, usquedum de Ecclesiae assensu vel dissensu constiterit, suscipiantur.

Hacce porro perversa doctrina Romani Pontificis auctoritatem subverti, fidei unitatem dissipari, erroribus campum amplissimum aperiri, tempusque late serpendi tribui, nemo non videt.

Quare Episcopi, catholicae veritatis custodes et vindices, his potissimum temporibus connisi sunt, ut supremam Apostolicae Sedis docendi auctoritatem synodalibus praesertim decretis et communibus testimoniis tuerentur. [1])

Quo evidentius vero catholica veritas praedicabatur, eo vehementius, tam libellis quam ephemeridibus, nuperrime impugnata est, ut catholicus populus contra sanam doctrinam commoveretur, ipsaque Vaticana Synodus ab ea definienda absterreretur.

---

[1]) Plura ejusmodi testimonia in Appendice collecta sunt.

Quare, si antea de opportunitate istius doctrinae in hoc Oecumenico Concilio pronuntiandae a pluribus dubitare adhuc potuit, nunc eam definire necessarium prorsus videtur. Catholica enim doctrina iisdem plane argumentis denuo impetitur, quibus olim homines, proprio judicio condemnati, adversus eam utebantur; quibus, si urgeantur, ipse Romani Pontificis primatus, Ecclesiaeque infallibilitas pessumdatur; et quibus saepe deterrima convicia contra Apostolicam Sedem admiscentur. Immo acerbissimi catholicae doctrinae impugnatores, licet catholicos se dicant, affirmare non erubescunt, Florentinam Synodum, supremam Romani Pontificis auctoritatem luculentissime profitentem, oecumenicam non fuisse.

Si igitur Concilium Vaticanum, adeo provocatum, taceret et catholicae doctrinae testimonium dare negligeret, tunc catholicus populus de vera doctrina reapse dubitare inciperet, neoterici autem gloriantes assererent, Concilium ob argumenta ab ipsis allata siluisse. Quinimmo silentio hoc semper abuterentur, ut Apostolicae Sedis judiciis et decretis circa fidem et mores palam obedientiam negarent, contendentes quod Romanus Pontifex in ejusmodi judiciis ferendis falli potuerit.

Publicum itaque rei christianae bonum postulare videtur, ut Sacrosanctum Concilium Vaticanum, Florentinum decretum de Romano Pontifice denuo profitens et uberius explicans, apertis, omnemque dubitandi locum praecludentibus verbis sancire velit supremam, ideoque ab errore immunem esse ejusdem Romani Pontificis auctoritatem, quum in rebus fidei et morum ea statuit ac praecipit, quae ab omnibus Christifidelibus credenda et tenenda, quaeve rejicienda et damnanda sint.

Non desunt quidem qui existiment, a catholica hac veritate sancienda abstinendum esse, ne schismatici atque haeretici longius ab Ecclesia arceantur. Sed in primis catholicus populus jus habet, ut ab Oecumenica Synodo doceatur, quid in re tam gravi, et tam improbe nuper impugnata credendum sit, ne simplices et incautos multorum animos perniciosus error tandem corrumpat. Idcirco etiam Lugdunenses et Tridentini Patres rectam doctrinam stabiliendam esse censuerunt, etsi schismatici et haeretici offenderentur. Qui si sincera mente veritatem quaerant, non absterrebuntur sed allicientur, dum ipsis ostenditur, quo potissimum fundamento catholicae Ecclesiae unitas et firmitas nitatur. Si qui autem, vera doctrina ab Oecumenico Concilio definita, ab Ecclesia deficerent, hi numero pauci et jamdudum in fide naufragi sunt, praetextum solummodo quaerentes, quo externa etiam actione Ecclesia se eximant, quam interno sensu jam deseruisse palam ostendunt. Hi sunt, qui catholicum populum continuo turbare non abhor-

ruerunt, et a quorum insidiis Vaticana Synodus fideles Ecclesiae filios tueri debebit. Catholicus enimvero populus, semper edoctus et assuetus, Apostolicis Romani Pontificis decretis plenissimum mentis et oris obsequium exhibere, Vaticani Concilii sententiam de ejusdem suprema et ab errore immuni auctoritate laeto fidelique animo excipiet.

APPENDIX.

Novissimarum provincialium Synodorum et communis episcoporum sententia de suprema et ab errore immuni Romani Pontificis in rebus fidei et morum Auctoritate.

1. Concilium provinciale *Coloniense*, anno 1860 celebratum, cui, praeter eminentissimum Cardinalem et Archiepiscopum Coloniensem, Joannem de Geissel, quinque subscripserunt Episcopi, diserte docet: „Ipse (Romanus Pontifex) est omnium Christianorum pater et doctor, *cujus in fidei quaestionibus per se irreformabile est judicium.*"

2. Episcopi in Concilio provinciali *Ultrajectensis* anno 1865 congregati apertissime edicunt: „(Romani Pontificis) judicium in iis, quae ad fidem moresque spectant, *infallibile* esse, indubitanter retinemus."

3. Concilium provinciale *Pragense*, anno 1860 celebratum, cui cum Eminentissimo Cardinali et Archiepiscopo Friderico De Schwarzenberg quatuor alii Episcopi definientes subscripserunt, titulo „*De primatu Romani Pontificis*" haec statuit: „Rejicimus porro errorem illorum, qui alicubi Ecclesiam catholicam existere posse autumant absque unitatis vinculo cum Ecclesia Romana, „in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio." (S. Irenaeus adv. haeres. l. 3. c. 3. n. 2.) Sciens neminem, qui extra unionem capitis est, censeri posse inter membra corporis Ecclesiae, quam Dominus super Petrum fundavit et in ejus auctoritate solidavit. Confiteantur potius nobiscum et cum orthodoxis per orbem terrarum fidelium turmis sanctae Romanae Ecclesiae Principatum et Pontificis Romani Primatum; summa, qua decet, pietate nobiscum venerentur, colantque Sanctissimum Dominum nostrum Pium, divina providentia Papam IX, ceu legitimum Principis Apostolorum successorem, Jesu Christi in terris Vicarium, supremum fidei doctorem et navis Christi gubernatorem, cui *fidelissima obedientia animique assensus ab omnibus, qui ad ovile Christi pertinere volunt, praestetur.* Declaramus et docemus, hanc Romani Pontificis auctoritatem a Christo Domino

descendere, a nulla proin hominum potestate vel concessione pendere, atque omni tempore et in atrocissimis Romanae Ecclesiae afflictionibus perdurare illibatam, prout etiam in carceribus et martyriis beati Petri perduravit."

4. Concilium provinciale *Colocense*, anno 1860 celebratum, haec statuit: „Quemadmodum Petrus erat . . . doctrinae fidei magister irrefragabilis, pro quo ipse Dominus rogavit, ut non deficeret fides ejus . . .; pari modo legitimi ejus in cathedrae Romanae culmine successores . . . depositum fidei summo et irrefragabili oraculo custodiunt . . . Unde propositiones cleri gallicani anno 1682 editas, quas jam piae memoriae Georgius Archiepiscopus Strigoniensis una cum ceteris Hungariae Praesulibus eodem adhuc anno publice proscripsit, itidem rejicimus, proscribimus, atque cunctis Provinciae hujus fidelibus interdicimus, ne eas legere vel tenere, multo minus docere auderent."

5. Concilium plenarium *Baltimorense*, anno 1866 coactum, in decretis, quibus 44 Archiepiscopi et Episcopi subscripserunt, inter alia haec docet: „Viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum, totius Ecclesiae caput, principem et pastorem, cujus fidem nunquam defecturam promisit, aedificata, suos legitimos semper habet Pontifices, sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem, in ejus cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris et potestatis haeredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus, ibi Ecclesia, ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet, ac praestat quaerentibus fidei veritatem; *idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quae tenuit ac tenet haec Romana beatissimi Petri cathedra*, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra, fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, *eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae* veritatis doctrinam.

6. Concilium primum provinciale Westmonasteriense, anno 1852 habitum, profitetur: „Cum Dominus noster adhortetur dicens: Attendite ad petram, unde excisi estis; attendite ad Abraham, patrem vestrum: aequum est, nos, qui immediate ab Apostolica Sede fidem, sacerdotium, veramque religionem accepimus, eidem plus ceteris amoris et observantiae vinculis adstringi. *Fundamentum igitur verae et orthodoxae fidei ponimus, quod Dominus noster Jesus Christus ponere voluit inconcussum, scilicet Petri cathedram, totius orbis magistram et matrem, S. Romanam Ecclesiam. Quidquid ab ipsa semel definitum est, eo ipso ratum et certum tenemus;* ipsius traditiones, ritus,

pios usus et omnes apostolicas constitutiones, disciplinam respicientes, toto corde amplectimur et veneramur. Summo denique Pontifici obedientiam et reverentiam, ut Christi Vicario, ex animo profitemur, eique arctissime in catholica communione adhaeremus."

7. Quingenti prope Episcopi, ex toto terrarum orbe ad agenda *solemnia saecularia* Martyrii Sanctorum Petri et Pauli anno 1867 in hac alma Urbe congregati, minime dubitarunt, Supremum Pontificem Pium IX hisce alloqui verbis. „Petrum per os Pii locutum fuisse credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annunciamus, unoque ore atque animo rejicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa, Tu ipse reprobanda ac rejicienda judicasti. Firmum enim menti nostrae est, alteque defixum, quod Patres Florentini in decreto unionis definierunt: Romanum Pontificem Christi Vicarium, totius Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem et doctorem existere."

Fridericus Maria Zinnelli Episcopus Tarvisinus, qui dum libentissime huic petitioni subscribit confidens sententiam de absoluta infallibilitate Summi Pontificis, quam et nunc tenet et semper qua voce qua scriptis editis asseruit et propugnavit supremo judicio sancitum iri, memor moderationis a Sancta Sede Apostolica, de cujus juribus agitur, adhibitae, praecipue in responsis ad quaestiones hac super re a Sacra Poenitentiaria datis, humillime quidem at etiam instantissime petit, ut tali verborum ratione haec doctrina definiatur, ut illorum qui aut praeteritis temporibus aut etiam nunc sincere parati se subjicere decretis Concilii Oecumenici aut Sanctae Sedis Apostolicae bona fide aliter senserunt, honor quanto minus fieri potest laedatur. Maxime id interest non solum ob charitatem, qua fratres complecti debemus, ob merita etiam praeclara aliquorum, sed et ne qui aliter sentiunt ac nos aut de re ipsa quae definienda est aut de opportunitate definitionis aestu disputationis abrepti, de proprio honore nimium, ut fert saepe humana fragilitas, solliciti in contraria sententia obfirmentur, quod certe omni cura evitandum est, ne fructus uberes, quos a Concilio Oecumenico expectamus, imminuantur.

Haec, quae esse in omnium fere Episcoporum votis existimat minimus inter fratres, conscientia dictante, Congregationi a Sanctissimo Pio Papa IX. deputatae pro recipiendis et

expendendis Patrum Sacri Concilii Oecumenici Vaticani propositionibus submittit.

Romae die sacra S. Francisco Salesio.

Anno millesimo octingentesimo septuagesimo.

Fridericus Maria Zinnelli
Episcopus Tarvisinus.

A Sacra Oecumenica Synodo Vaticana infrascripti Patres Dioeceseon praesertim utriusque Siciliae Regni, prae oculis habentes verba S. Evangelii nec non Ecclesiae doctrinam et monumenta, atque S. Thomae Doctoris Angelici, Ecclesiae totius, et eorum patriae gloriae ornamenti, oraculo suffulti, qui solemni sententia edixit: *ad summi Pontificis auctoritatem pertinere finaliter determinare ea quae sunt fidei ut ab omnibus inconcussa fide teneantur, et ideo ad solam ejus auctoritatem pertinet nova editio symboli sicut et omnia alia pertinent ad totam Ecclesiam* (2. 2. qu. 1. art. 10); et alio gravissimo effato S. Alphonsi de Ligorio altero Ecclesiae et patriae praeclarissimo lumine permoti, humillime instanterque efflagitant, ut ipsissimis verbis ejusdem S. Alphonsi in peculiari dissertatione sancire velit: *quod licet Romanus Pontifex quatenus peculiaris persona sive privatus Doctor possit errare, sicut etiam est fallibilis in quaestionibus meri facti, quae ex hominum testimoniis praecipue pendent, cum tamen Papa loquitur tamquam Doctor universalis definiens ex cathedra, nempe ex potestate suprema, tradita Petro, docendi Ecclesiam, tunc in controversiis Fidei et morum decernendis ab errore esse immunem.*

Nec mirum videri poterit id ab iis exquiri, cum ipse S. Augustinus, de alia dogmatica veritate disserens, ad rem ait: *Quoniam quaestionis hujus obscuritas prioribus Ecclesiae temporibus magnos Viros, et magna charitate praeditos Patres Episcopos ita inter se compulit, salva pace, disceptare, donec plenario totius orbis Concilio, quod saluberrime sentitur etiam remotis disceptationibus firmaretur* (De baptismo con. Donatis. lib. 1. cap. 7). Pronam difficultatem diluit S. Hilarius: *Sed male alius intelligit? Damnemus in commune vitiosam intelligentiam, non auferamus fidei firmitatem* (De Sinod. n. 88.).

Huic postulationi subscripserunt 41 Concilii Patres.

Beatissime Pater!

Infallibilitatem Summi Pontificis *ex cathedra* loquentis, quae evidentissimis divinarum literarum et Sanctorum Patrum probatur testimoniis, quamque maxima Christi fidelium pars, per Oecumenicum Vaticanum Concilium definiri desiderat, hodie a quibusdam vehementer oppugnatam comperimus. Hinc grave oritur scandalum, quod fidei simplicitati non parum obesse poterit. Nam vera falsis commiscentes et iis quae clara sunt tenebras obducentes „Ecclesiam illam ad quam — ut S. Irenaeus ait — propter potiorem principalitatem necesse est convenire eos qui sunt undique fideles, et in qua semper conservata est ea quae est ab Apostolis traditio," nedum errare posse, sed etiam aliquando errasse in animos inducere contendunt; Christique in terris Vicarium, cujus est confirmare fratres, ne a fide deficiant, doctrinas a christianis moribus alienas pluries docuisse ac in haeresim prolapsum, non sine magna fidelium perturbatione et Ecclesiae inimicorum laetitia evulgant.

Quae cum ita sint, optandum censeo ut quid de infallibilitate Romani Pontificis in materia fidei, tamquam universalis Ecclesiae doctoris definientis, ab omnibus sit credendum, Sacrosancta Synodus, apud Apostolicam Cathedram congregata, aperiat ac decernat. Id enim non modo opportunum, verum etiam necessarium videtur, ne fidelium mentes fluctuantes sint, et circumferantur omni vento doctrinae, in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.

Quapropter, Beatissime Pater, qui naviculam Ecclesiae, inter furentes persecutionum undas, ne impingeretur in errorum syrtes, a Christo Domino, in persona Beati Petri, gubernandam suscepisti, instanter postulo, ut illam controversiam Sacri Concilii judicio subjici permittas, qua tandem definita, idipsum dicamus omnes, et simus perfecti in eodem sensu et in eadem sententia.

Sanctitatis tuae

Humus et Obsmus in Christo servus

† Ant. Jos. Pluym Ep. Nicopolitan.

Avvendo io sempre ritenuta, e facendo insegnare al mio giovine Clero la dottrina dell' infallibilità del Nostro Capo il Sommo Pontefice „Quando *ex cathedra statuit ac praecipit, in rebus fidei ac morum, quae ab omnibus Christifidelibus cre-*

denda et tenenda, quaeve rejicienda et damnanda sunt" approvo che sia ora proposto alla speciale Congregazione designata nel cap. 2. della Lett. Ap. *Multiplices inter*, quest'oggetto, affinchè se ad Essa sembrerà opportuno, lo deferisca al S. Concilio ecumenico per deliberarne con piena cognizione, e coll'assistenza dello Spirito Santo.

Roma dal Convento di S. Agostino 29. Gennaro 1870.

† G. Batt. Vesc. di Savona e Noli.

Eminentia reverendissima!

Semel et iterum excitatus ad subscribendum tum petitioni pro discutienda et definienda in hoc Concilio *Infallibilitate Summi Pontificis*, tum petitioni contra hujusmodi discussionem et definitionem, satius duxi Eminentiae tuae, quae, absente Pontifice, Concilio praeest, mentem meam hac de re aperire.

Itaque necessarium censeo in hoc Concilio agere de *Infallibilitate Summi Pontificis*, eamque *definire*, nam secus Summae Apostolicae Sedis auctoritas grave detrimentum ex hujus Concilii occasione patietur: et paratus sum ad hanc *Infallibilitatem* publice ex ambone tuendam in aula conciliari.

Tamen arbitror, in definitione exponenda sedulo cavendum esse a pluribus *seorsim — separatim ab Episcopis — personaliter — inconsultis Episcopis:* sed simpliciter dicendum esse: *definitionem quam Summus Pontifex edit ex cathedra, qua sub anathematis poena damnat eos qui non tenent ore et mente propositionem quam ipse profert, vel adhaerent ero aut solum mente errori quem ipse proscribit, esse ab errore immunem, propterea que infallibilem: idque uti dogma fidei habendum esse.* Addi debet: Pontificem loqui ex *cathedra* quum 1. Alloquitur *universam Ecclesiam.* 2. Anathema comminatur ei qui vel ore simul et mente, vel *solum mente* non se submittit suae definitioni.

Opto etiam, ut in schemate de Ecclesia, ubi de Episcopis agitur, expresse affirmetur, *eos esse una cum Summo Pontifice judices fidei;* vel eos pollere etiam *auctoritate judicium proferendi de veritatibus fidei* — vel eos *non solum in Concilio oecumenico*, sed *etiam manentes in suis Sedibus posse cum Summo Pontifice* vel *dependenter a Summo Pontifice judicium ferre de rebus fidei.*

Haec dum expono Eminentiae tuae, cui licebit ea aliis

debito obsequio. et sacrae
profiteor
die 23. Januarii 1870.

obseqmum servum
D. N. Jesu Christo
Episcopus Salutiarum.

Concilii Vaticani!

Pontificem successorem B.
Jesu Christi in terris, quando
Christianum in iis quae pertinent
[illegible]bilem.
Sanctitatis Suae DD. NN. Pii
relinquendum esse sentio utrum
de hac re fieri debet.
Januarii 1870.

Joannes Joseph Lynch
Episcopus Torontinus.

rogo ut proponatur in Concilio
Romani Pontificis.

Episcopus Gaudisiensis.

Vaticani Patribus flagitantibus, ut
locum excludentibus verbis hoc
ideoque ab errore immunem
quum praecipit quae ab omnibus
tenenda quaeve rejicienda et dam-
Magisterium Romani Pontificis
Principis Apostolorum in suis succes-
semper viventis Sancta Catholica
et professa fuerit, atque ideo Eccle-
Petri successor residet et praesidet
matrem et magistram agnoverit

et agnoscat, prout hujus quoque Concilii Vaticani Patres Sessione I. unanimes fide jurata voverunt, postquam nostro tempore inventi sunt etiam catholici qui infallibile magisterium Petri seu Pontificis Romani in dubium vocarent aut plane negarent et impugnare publice editis scriptis tentarent atque taliter Ecclesiam Petra fidei supra quam fundavit Christus Ecclesiam suam privare conniterentur, res vitalis pro Ecclesia Christi est ut Concilium hoc Vaticanum professionem suam Decreto Synodali denuo enunciet. Id tamen ea ratione et forma fiat, ut omnes inimici hujus veritatis desarmentur nihil habentes quod contra hanc veritatem fundamentalem proferre possint neque praetextuare valeant Catholicos infallibilitatem personalem humanam Pontifici attribuere eumque deificare, verum hanc infallibilitatem esse officiosam magisterii ejus quae a revelatione a Deo Sancto Petro facta, Christo testante, non caro et sanguis revelavit tibi sed Pater meus qui in coelis est, inchoata, et per assistentiam Christi et Spiritus Sancti Spiritus veritatis qui datus est Ecclesiae quae per Caput suum Pontificem Romanum annunciat fidem et praecepta mundo, continuata et continuanda est usque ad mundi finem. Haecque est petra fidei immobilis per infallibilitatem et ideo invincibilis, cui insistit qua fundamento universa compago Ecclesiae quae dirui non possit quoniam fundata est supra firmam fidei petram.

Formula vero Decreti hujus dogmatici posset esse sequens:

Quoniam nostro tempore manifestati sunt falsi doctores decipientes animas ad eam quoque auctoritatem spiritualem infallibilem infirmandam quam Dominus et Deus noster Jesus Christus Salvator mundi in Beato Petro Apostolorum Principe qui in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vivit et judicium exercet super quem qua firmam fidei Petram aedificavit Ecclesiam suam pro Ecclesiae omnisque societatis humanae salute disertis verbis instituit, a qua genus humanum praecepta Dei et veritates divinas infallibili certitudine omni tempore percipere possit: Visum est Spiritui sancto et huic Sancto Concilio hanc perniciosissimam impietatem fundamentum Ecclesiae Dei evertentem et infallibile Magisterium Romanae Ecclesiae propter residentem in ea petram fidei in persona successoris Beati Petri Summi Pontificis pernegantem detestari et decernere. Si quis dixerit Ecclesiam Romanam non esse Matrem omnium Ecclesiarum et Magistram atque ex Cathedra Petri Romana posse doctrinam heterodoxam in rebus fidei et morum pronunciari atque mundo praedicari non obstante Christi et Spiritus Sancti Spiritus veritatis qui datus est Ecclesiae continua atque per-

petua assistentia, ideoque dixerit Romani Pontificis decreta de fide et moribus non esse ab omnibus Christi fidelibus interno mentis assensu suscipienda, anathema sit.

Romae die 13. Januarii 1870.

Josephus Papp-Szilagyi
Episcopus Magno-Varadinensis graeci ritus catholicorum in regno Hungariae.

Eminentissime Princeps!

Infrascripti Patres enixe et humiliter petunt ab Eminentia Vestra, tanquam Praeside „Congregationis peculiaris a SSmo Domino Nostro Pio Papa IX. deputatae pro recipiendis et expendendis Patrum propositionibus", ut, tempore opportuno, Emis et Rmis Patribus dictae Congregationis, schema annexum „Pro infallibilitate Romani Pontificis ex principiis jam ab Ecclesia universali receptis logice clareque definienda", exhibere dignetur.

Cum rationes ob quas ita faciendum judicaverimus ipso schemati adnexae inveniantur, nihil aliud superest quam ut obsequentissimos animi nostri sensus erga Te, Eminentissime Princeps, iterum profiteamur.

Eminentiae Tuae Rmae ac Illmae

Humi Famuli et Fratres in Christo.

Huic postulationi subscripserunt quinque Concilii Patres.

SCHEMA PRO INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS

ex Principiis jam ab Ecclesia universa receptis logice clareque definienda.

In ipso Capite de Romano Pontifice, damnatis primo loco erroribus contra ejus Primatum, haec vel similia, si placeat, adjungi poterunt:

1. Omnino reprobamus eorum temeritatem, qui a Summi Pontificis Supremis judiciis ad Concilium Oecumenicum appellare audent.

2. Deinde prorsus damnamus perversas eorum cavillationes, qui dicere audent externum quidem obsequium, non

autem internum mentis cordisque assensum Romani Pontificis judiciis esse praestandum.

3. Insuper omnino improbamus eorum loquendi et docendi rationem, qui temeraria quadam et praepostera divisione inter coetum Episcoporum et Summum Pontificem excogitata, disputant uter eorum videatur esse major, et sic caput a corpore, Petrum ab Ecclesia distrahere et sejungere conantur: quasi fratrum coetus, quos Petrus etiam in successoribus suis confirmare jubetur, posset unquam ab Illo desciscere, cujus fides ex Christi promissione numquam deficiet; aut iis qui a Petro docendi sunt et confirmandi, Ipsum contra docere et confirmare liceret.

4. Neque minus reprobandam judicamus illorum sententiam et agendi rationem, qui, ut errores a Romano Pontifice damnatos in vulgus diffundere liberius valeant, dictitare non verentur verum sensum librorum, ex quibus damnatae hujusmodi propositiones excerptae sunt, a Pontifice haud rite intellectum fuisse.

Quae quidem omnia illustrantur confirmanturque ab iis quae sequuntur:

1. Atque ita quidem sentire se luculenter testatus est totius fere Catholici Orbis Episcopatus nuperrime Romae congregatus, dum summum Pontificem feliciter regnantem praeclaris hisce verbis allocutus est: „Non enim unquam obticuit os Tuum. Tu aeternas veritates annunciare, Tu saeculi errores naturalem supernaturalemque rerum ordinem atque ipsa ecclesiasticae civilisque potestatis fundamenta subvertere minitantes Apostolici eloquii gladio configere, Tu caliginem novarum doctrinarum pravitate mentibus offusam dispellere, Tu quae necessaria ac salutaria sunt tum singulis hominibus, tum Christianae familiae, tum civili societati, intrepide affari, suadere, commendare supremi Tui ministerii es arbitratus: ut tandem cuncti assequantur quid hominem Catholicum tenere, servare, ac profiteri oporteat. Pro qua eximia cura maximas Sanctitati Tuae gratias agimus, habituri sumus sempiternas; Petrumque per os Pii locutum credentes, quae ad custodiendum depositum a Te dicta, confirmata, prolata sunt, nos quoque dicimus, confirmamus, annunciamus, unoque ore atque animo rejicimus omnia, quae divinae fidei, saluti animarum, ipsi societatis humanae bono adversa Tu ipse reprobanda ac rejicienda judicasti.“ [1])

---

[1]) Responsio Episcoporum ad SS. D. N. Allocutionem, in solemn. Saec. Martyrii SS. Petri et Pauli, die 1. Julii 1867; cui Responsioni subscripserunt quingenti fere Episcopi.

2. Nam „viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino super Petrum, totius Ecclesiae Caput, Principem, et Pastorem, cujus fidem nunquam defuturam promisit, aedificata, suos legitimos semper habet Pontifices, sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus Cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris, ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam, ubi Petrus, ibi Ecclesia,[1]) ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur,[2]) et semper in suis Successoribus vivit et judicium exercet,[3]) ac praestat quaerentibus fidei veritatem;[4]) idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana Beatissimi Petri Cathedra, quae omnium Ecclesiarum Mater et Magistra[5]) fidem a Christo Domino traditam integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam et incorruptae veritatis doctrinam.“[6])

RATIONES,

ob quas Schema supra propositum magis expedire creditur.

I. Primo sperari tuto potest, fore ut hujusmodi Schema Patribus quasi universis magis arrideat, et eorum unanimi fere suffragio confirmetur. Continet enim certa et inconcussa doctrinae Catholicae principia jam in universa Ecclesia recepta, quaeque agnoscunt et profitentur omnes, paucis exceptis, quorum numerus adeo exiguus est, ut ejus nulla ratio habenda videatur.

II. Plena haec Patrum omnium (vel saltem fere omnium), consensio non solum expedit, sed omnino postulari videtur, quando agitur de capite doctrinae definiendo: praesertim in re tanti momenti, quae sane nemine (si id fieri possit) dissentiente definiri deberet.

III. Hoc autem tempore ejusmodi unanimitas summopere necessaria videtur ob voces in vulgus sparsas et ubique creditas, quibus magna inter Patres hac de re discordia esse perhibetur. Unanimis Patrum definitio hostibus nostris sic temere gloriantibus os penitus obstrueret, et maximam Ecclesiae Dei

---

1) S. Ambrosius in Ps. XL. 2) Concil. Chalced. Act. II.
3) Synodus Ephes. Act. III.
4) S. Petrus Chrysol. in Epist. ad Eutych.
5) Concil. Trid. Sess. VII. de Bapt.
6) SS. D. N. Epistola Encycl. 9. Novem. 1846, a Concilio Baltimorensi Plenario II. relata, in Decreto de Hierarchia, Cap. II. p. 42, 48.

aedificationem pareret. Profecto satis hostium externorum habemus, quin in ipsis Ecclesiae castris nova dissidia excitemus, vel ullo modo fovere videamur.

IV. Propositus implicite definiendi modus, quamvis sit indirectus, videtur tamen tum vi tum simplicitate praestare. Clarior enim est, ac plura forsan continet, quam definitio formalis et explicita. Haec enim plures cavillandi locos theologis suppeditabit. Disceptabitur perpetuo inter eos, quando et quibus rerum adjunctis Romanus Pontifex omnes Christifideles allocutus fuisse, et infallibile judicium protulisse credendus sit. Indecisae adhuc manebunt omnes illae quaestiones, etiam inter piissimos Pontificiae infallibilitatis propugnatores hactenus agitatae, de persona Pontificis docentis publica et privata, de vera locutionis *ex Cathedra* significatione, de rebus quae ad fidem moresque *vere* spectant. Immo violentius forsan erumpent hujusmodi quaestiones, et longe majori animi contentione pertractabuntur.

V. In proposito autem definiendi Schemate nulla fit nullaque requiritur distinctio expressa; nam inerrantiam Romani Pontificis cum Ecclesiae ipsius infallibilitate intime conjungit, eamque veluti logicam ipsius Primatus sequelam et veluti corollarium exhibet, adeo ut tam late pateat iisdemque limitibus contineatur ac ipsa Ecclesiae infallibilitas ipseque divinitus constitutus Primatus; quae quidem fidei principia jam ab Ecclesiae ipsius primordiis satis fixa et determinata sunt. Hujusmodi igitur definiendi ratione ansa nulla praebetur sive theologis, sive fidelibus, dubitandi aut cavillandi circa jussa et decreta S. Pontificis, cujus sapientissimo consilio, dum pascit tam agnos quam oves, sicut decet filios erga patrem, omnia reverenter et amanter relinquuntur dirimenda.

VI. Demum haec definiendi ratio, dum fixa quaedam et immota principia ubique recepta asserit, simul hoc commodi habet, ut non solum Christianis omnibus infallibilem in fidei morumque rebus, nullo dubitandi vel cavillandi loco relicto, credendi et agendi normam proponat, sed etiam futurorum praecipue temporum bono prospiciat. Formalis vero definitio, cum vi sua ad omnia etiam retroacta saecula protenderetur, facile universum historiae ecclesiasticae campum totumque Bullarium theologorum cavillationibus et haereticorum impiorumque adversus Romanos Pontifices criminationibus, jam fere sopitis, aperiret.

3. POSTULATA
CONTRA PRAEFATAM DEFINITIONEM DIRECTA.

Centum triginta sex Concilii Patres de re gravissima ad Sanctissimum Dominum preces direxerunt. Jam cum juxta tenorem litterarum Apostolicarum de die 27. Nov. 1869. § II. propositiones Sacrosancto Oecumenico Concilio Vaticano faciendas peculiari Congregationi, a SSmo Dno pro recipiendis et expendendis ejusmodi propositionibus deputatae, exhiberi oporteat, honori mihi est, quinque istos libellos supplices perpendendos et SSmo Patri benigne commendandos in adjecto substernere.

Summa cum veneratione et observantia persevero

Emorum ac Rmorum Patrum

Romae die 29. Januarii 1870.

Humillimus devotissimus s. v.
Fr. Card. Schwarzenberg
Archiep. Pragen.

Beatissime Pater!

Pervenerunt ad nos litterae typis impressae, quibus Concilii Patribus subscribenda exhibetur petitio a Synodo oecumenica flagitans, ut sancire velit supremam ideoque ab errore immunem auctoritatem Romani Pontificis in rebus fidei et morum Apostolica potestate universis fidelibus praecipientis. Mirum certe est fidei judices invitari, ut ante causam dictam de sententia ferenda declarationem subscriptione sua munitam ederent. Verum in hoc tanto negotio Te ipsum, Sanctissime Pater, adeundum esse censuimus, quippe qui a Domino ad agnos ovesque pascendum constitutus animarum Christi sanguine redemptarum piissimam curam habes et periculorum ipsis imminentium affectu paterno misereris. Abierunt tempora, quibus Sedis Apostolicae jura a catholicis in dubium vocari contigit. Nemo est, qui nesciat, sicut corpus absque capite mutilum ita neque Concilium Ecclesiam totam repraesentans absque Successore S. Petri haberi posse, omnesque Sanctae Sedis mandatis promptissimo obediunt animo. Praeterea quae de Pontificis Romani auctoritate fidelibus tenenda sint, Concilium Tridentinum edixit, Flo-

rentinum quoque, cujus ea de re decretum in cunctis singulisque eo sanctius conservetur oportet, quoniam Ecclesiae latinae et graecae consensu stabilitum est, atque si Dominus ad orientem tot malis oppressum misericordiae suae oculos convertere dignetur, unionis restituendae fundamentum erit. Accedit, quod hac tempestate Ecclesiae adversus eos, qui in religionem tanquam commentum humano generi exitiale consurgunt, pugna sustinenda sit nova et a saeculis inaudita: quapropter minime consultum videtur populis catholicis tot undique machinationibus in tentationem inductis majora, quam Patres Tridentini, imponere.

Ceterum prout cum omni Ecclesia catholica Bellarminus effatur: „definitiones de fide pendent praecipue ex traditione apostolica et consensu Ecclesiarum“ et quamvis ad totius Ecclesiae sententiam cognoscendam Synodus universalis brevissimam sternat viam, tamen a nobilissimo Concilio, quod Apostoli cum senioribus Hierosolymis habuerunt, Nicaenum usque errores innumeri Ecclesiarum particularium judiciis Summi Pontificis et totius Ecclesiae consensu adprobatis profligati et extincti sunt. Indubium est, quod omnes Christi fideles Sedis Apostolicae decretis veram obedientiam debeant. Insuper eruditi piique viri docent: quae S. Petri Successor de fide moribusque ex cathedra loquens constituat, etiam absque Ecclesiarum consensu quomodocumque demonstrato irrefragibilia esse. Attamen silentio premere non licet, graves nihilominus superesse difficultates ex Patrum Ecclesiae dictis gestisque, genuinis historiae documentis et ipsa doctrina catholica enatas, quae nisi penitus solutae fuerint, nequaquam fieri posset, ut doctrina praedictis litteris commendata populo christiano tanquam a Deo revelata proponeretur. Verum ab hisce discutiendis refugit animus et ne ejusmodi deliberationum necessitas nobis imponatur, benevolentiae Tuae confidentes flagitamus.

Praeterea cum inter potiores nationes catholicas munere episcopali fungimur, rerum apud eas statum quotidiano noscimus usu; nobis autem constat, definitionem, quae postulatur, religionis inimicis nova suppeditaturam arma ad rei catholicae etiam apud melioris notae viros invidiam concitandam, certique sumus rem in Europa saltem regionum nostrarum guberniis ansam praebituram sive praetextum in jura Ecclesiae residua invadendi.

Haec Sanctitati Tuae ea, quam communi fidelium patri debemus, sinceritate exposuimus et Tuo, precamur, mandato fiat, ut doctrina, cujus sanctionem petunt, Concilio oecumenico discutienda haud proponatur.

Ceterum ad pedes Tuos provoluti pro nobis et populis, quos ad Deum perducendos accepimus, Apostolicam petimus Benedictionem.

Sanctitatis Tuae

Datum Romae 12. Januarii 1870.

Humillimi, obsequentissimi, devotissimi servi

Huic postulationi subscripserunt 46 Concilii Patres.

Beatissime Pater!

Ad pedes Sanctitatis Tuae provoluti humiliter et enixe deprecamur ut quaestio de definitione Infallibilitatis Summi Pontificis tanquam dogmatis fidei Concilio Vaticano haud proponatur.

Petitionis rationes inter plures tres tantum, quae sufficere videntur, adducere liceat.

Prima quidem quod discussio quaestionis clare monstrabit defectum unionis, et praesertim unanimitatis, inter Episcopos.

Secunda vero quod in circumstantiis in quibus *nos* versamur in regionibus ubi haereses non solum impune grassantur sed et dominantur; definitio nedum attraheret, e contra magis ab Ecclesia alienaret eos quos omni pretio, omni sacrificio, Christo lucrifacere volumus.

Tertia denique ratio, quod interminabiles inde lites orituras praevidemus, quibus opus ministerii impediendum, et Concilii hujus Vaticani fructus omnino forsan perimendos apud acatholicos timemus.

Hisce Sanctitati Tuae sincero corde et pia intentione expositis, Deum Omnipotentem precamur ut omne malum ab Ecclesia avertat Teque, Beatissime Pater, Sancto suo Spiritu illustret et dirigat.

Datum Romae die 15. Januarii 1870.

Huic postulationi subscripserunt 27 Concilii Patres.

Beatissime Pater!

Audivimus circumferri litteras typis mandatas quibus petitur ut Concilium Oecumenicum definiat tanquam dogma supremam ideoque ab errore immunem esse Summi Pontificis

auctoritatem in rebus fidei et morum; easque litteras passim per domos Patribus exhiberi subscribendas.

Nos, Beatissime Pater, qui in Orientalibus partibus schismaticas inter et haereticas gentes degimus nec minori tamen quam Occidentales Episcopi affectu et devotione erga Apostolicam Sedem devincimur; maxime vero quod ad nos attinet exoptamus ut universus Oriens cum reliquis gentibus in Te, Beatissime Pater, respiciat, et unius ovilis Pastor unice Summus aliquando ipse fias.

Quid de Romano Pontifice tenendum sit Florentina Synodus, Graecis Latinisque consentientibus, tunc sancte opportuneque sancivit.

Quapropter Te, cujus sapientiam ac prudentiam semper suspeximus, Te nunc enixe rogamus ut humeris nostris majora viribus onera imponi et pericula inter quae sacro ministerio fungimur gravioribus difficultatibus cumulari non velis, non patiaris, non sinas.

Et ad pedes Tuae Beatitudinis provoluti pro nobis nostrisque gregibus Apostolicam Benedictionem peramanter efflagitamus.

Sanctitatis Tuae humi obsmi devmi servi

Datum Romae 18. Januarii 1870.

Huic postulationi subscripserunt 17 Orientalis Ecclesiae Patres.

Beatissime Pater!

Pervenerunt ad nos litterae typis impressae, quibus Concilii patribus subscribenda exhibetur petitio a Synodo Oecumenica flagitans, ut sancire velit *supremam*, *ideoque ab errore immunem* auctoritatem Romani Pontificis in rebus fidei et morum, apostolica potestate universis fidelibus praecipientis. Mirum certe est fidei judices invitari, ut ante causam dictam de sententia ferenda declarationem subscriptione sua munitam ederent.

Verum in hoc tanto negotio, Te ipsum, Sanctissime Pater, adeundum esse censuimus, quippe qui a Domino ad agnos ovesque pascendum constitutus animarum Christi Sanguine redemptarum principem atque piissimam curam habes et periculorum ipsis imminentium affectu paterno misereris.

Norunt enim omnes et libentissime profitentur, quod sicut corpus absque capite mutilum est, ita Concilium Ecclesiam

totam repraesentans, absque Successore Sancti Petri haberi non posse, omnesque Sanctae Sedis mandatis promptissimo obediunt animo.

Praeterea quae de Pontificis Romani auctoritate fidelibus tenenda sint Concilium Tridentinum edixit, Florentinum quoque, cujus ea de re decretum in cunctis singulisque eo sanctius observetur oportet, quoniam Ecclesiae latinae et graecae consensu indictum est, atque si Dominus ad Orientem tot malis oppressum misericordiae suae oculos convertere dignetur, unionis restituendae fundamentum erit. Accedit, quod, nostra hac tempestate, adversus eos, qui in religionem tanquam commentum humano generi exitiale consurgunt, pugna ab Ecclesia sustinenda sit nova et a saeculis inaudita, ita ut non aeque consultum videatur populis catholicis tot undique machinationibus in tentationem inductis majora, quam quae Patres Tridentini, imponere.

Cum enim inter potiores nationes Catholicas munere Episcopali fungamur, rerum apud eas statum quotidiano noscimus usu, atque ideo nobis reapse constat definitionem hujusmodi, quae nulla cogente necessitate postulatur, nova inimicis in Ecclesiam arma suppeditaturam, atque apud plurimos etiam melioris notae viros fore minus acceptam, ita ut illi ansam assumerent reliqua Catholicae Ecclesiae jura invadendi; hi vero (quod animo nobis coram Deo et hominibus alte infixum Tibi, Pater optime, adaperire statuimus) non absque periculo schismatis, in praecipuis religionis nostrae sanctissimae officiis persolvendis, ac bonis operibus adimplendis relaxarentur.

Haec Sanctitati Tuae, ea quam Supremo omnium fidelium Patri debemus sinceritate exposuimus et Tuo, precamur, mandato fiat, ut doctrina cujus sanctionem petunt Concilio oecumenico discutienda haud proponatur.

Caeterum ad pedes tuos provoluti pro Nobis et populis quos ad Deum perducendos accepimus, apostolicam petimus benedictionem.

Romae die 18. Januarii 1870.

Sanctitatis Tuae

Humillimi Obsequent. Devot. Servi

Huic postulationi subscripserunt septem Concilii Patres.

Beatissime Pater!

Pervenerunt ad nos litterae die 3. Januarii typis impressae, quibus Concilii Patribus subscribenda exhibetur petitio, a Synodo oecumenica flagitans *ut sancire velit supremam, ideoque ab errore immunem auctoritatem Romani Pontificis, in rebus fidei et morum apostolica potestate universis fidelibus praecipientis.* Mirum certe est fidei judices invitari ut ante causam dictam de sententia ferenda declarationem subscriptione sua munitam ederent. Verum in hoc tanto negotio, Te ipsum, Sanctissime Pater, adeundum esse censuimus, quippe qui, a Domino ad agnos ovesque pascendum constitutus, animarum Christi Sanguine redemptarum piissimam curam habes et periculorum ipsis imminentium affectu paterno misereris.

Abierunt tempora quibus Sedis Apostolicae jura a catholicis in dubium vocari contigit. Nemo est qui nesciat, sicut corpus absque capite mutilum ita neque Concilium Ecclesiam totam repraesentans absque Successore S. Petri haberi posse, omnesque Sanctae Sedis mandatis promptissimo obediunt animo.

Praeterea quae de Pontificis Romani auctoritate fidelibus tenenda sint Concilium Tridentinum edixit, Florentinum quoque, cuius ea de re decretum in cunctis singulisque eo sanctius conservetur oportet, quoniam Ecclesiae latinae et graecae consensu stabilitum est, atque, si Dominus ad Orientem tot malis oppressum misericordiae Suae oculos convertere dignetur, unionis restituendae fundamentum erit.

Accedit quod, hac tempestate Ecclesiae, adversus eos qui in religionem tanquam commentum humano generi exitiale consurgunt, pugna sustinenda sit nova et a saeculis inaudita: quapropter minime consultum videtur populis catholicis, tot undique machinationibus in tentationem inductis, majora quam Patres Tridentini imponere.

Namque, cum inter potiores nationes catholicas munere episcopali fungamur, rerum apud eas statum quotidiano noscimus usu. Nobis autem constat definitionem quae postulatur religionis inimicis nova suppeditaturam arma ad rei catholicae, etiam apud melioris notae viros, invidiam concitandam, certique sumus rem in Europa saltem regionum nostrarum guberniis ansam praebituram, sive praetextum in jura Ecclesiae residua invadendi.

Haec Sanctitati Tuae, ea quam communi fidelium Patri debemus sinceritate, exposuimus, et Tuo, precamur, mandato fiat ut doctrina cujus sanctionem petunt Concilio oecumenico discutienda haud proponatur.

Ceterum ad pedes Tuos provoluti pro nobis et populis, quos ad Deum perducendos accepimus, Apostolicam petimus Benedictionem.

Datum Romae 12. Januarii 1870.

Sanctitatis Tuae

Humillimi, Obsequentissimi, Devotissimi Servi

Huic postulationi subscripserunt 40 Concilii Patres.

4. POSTULATUM

ARCHIEPISCOPI WESTMONASTERIENSIS AD DOCTRINAM DE ROMANI PONTIFICIS PRIMATU SPECTANS.

Rationes hujus propositionis ex adjecto schemate patebunt.

I. Canoni XIV. addatur hoc tertium membrum:

„aut ipsum jurisdictionis primatum vel potestatis spiritualis principatum in totam Ecclesiam non fuisse soli Petro ejusque Successoribus divinitus collatum; anathema sit.“

II. Canonis XVI. membro priori hoc addatur incisum:

„atque tam in omnes simul quam singulos seorsum Ecclesiae pastores.“

III. Post Canonem XVI. inseratur Canon:

„Si quis dixerit decreta fidei et morum edita a Romano Pontifice tanquam a supremo totius Ecclesiae Pastore et Doctore ante aliorum sive plurium sive pauciorum episcoporum consensum posse reformari (vel reformabilia esse): aut eadem examini vel judicio alterius ullius auctoritatis etiam Concilii Oecumenici ita subjici posse, ut liceat illa sive rejicere sive recipere: atque ipsum Romanum Pontificem judicio vel reformationi hujusmodi renitentem posse a Concilio Oecumenico per actum superioris jurisdictionis corrigi vel deponi; anathema sit.“

Die 15. Februarii 1870.

† Henricus Eduardus Archiepiscopus
Westmonasteriensis.

5. POSTULATUM

ARCHIEPISCOPI MECHLINENSIS AD EANDEM REM SPECTANS.

I.

1. Ecclesia non procedit ad definitionem dogmatum, nisi quando veritates revelatae negantur, aut in dubium vocantur; nec devenit ad condemnationem errorum qui fidei adversantur, nisi quando hujusmodi doctrinae *de facto* disseminantur.

2. Sed in his casibus non tacet Ecclesia, juxta Augustini effatum „Quae sunt contra fidem, vel bonam vitam, Ecclesia non approbat, nec tacet.“ (Ad Inq. Ian. L. 12. n. 75.)

3. Non igitur quaestio moveri potest, an sit in praesentiarum opportuna condemnatio novarum quarumdam doctrinarum quae circa fundamentum regiminis a Christo in Ecclesia constituti hodie praedicantur super tecta, [1]) cum haec condemnatio non opportuna tantum, sed omnino necessaria evaserit. „Error quippe cui non resistitur, approbatur, et veritas, cum non defenditur, opprimitur.“ (Corp. juris Can. Dist. 83, cap. Error.)

4. Necessitatem hujus condemnationis luculentius adstruit ipsa agendi ratio eorum qui doctrinas istas spargentes, solemne hujus S. oecumenicae Synodi de iis judicium expetunt. Procul igitur dubio judicium petitum proferetur.

5. Cum vero de forma hujus judicii alia atque alia in Concilio proponi possint, examinabunt Patres an ea quae sequuntur, et quae *ex Decretis praecedentium oecumenicorum Conciliorum*, et ex verbis *Comitiorum Cleri gallicani* praecipue excerpta sunt, hunc in finem usui esse valeant.

II.

1. Si quis dixerit contra Concilii Florentini definitionem, Sanctam apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem non tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem non esse B. Petri principis Apostolorum, verum Christi Vicarium, totius Ecclesiae caput, omniumque Christianorum patrem et doctorem; nec ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a D. N. I. C.

---

[1]) In Germania, in Gallia, et per Ephemeridas ubique.

plenam potestatem traditam esse, quemadmodum in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris Canonibus continetur, anathema sit.

2. Si quis dixerit Romano Pontifici traditam esse plenam potestatem regendi et gubernandi, non autem *plenam* potestatem *pascendi* seu *docendi* [1]) universalem Ecclesiam, agnos et oves, fideles scilicet et pastores, anathema sit.

3. Si qui dixerit Romanum Pontificem, Petri Successorem et unicum Ecclesiae caput habere quidem in Ecclesia *primatum jurisdictionis*, non autem *supremam potestatem* docendi, regendi et gubernandi Ecclesiam, perinde ac si primatus jurisdictionis, ceu „*Potestatis principatus*", ut loquitur Concilium Lateran. IV., ab ipsa *suprema potestate* distingui valeret, [2]) anathema sit.

4. Si quis dixerit hanc supremam potestatem in Romano Pontifice non esse *plenam*, ut eam vocat Concilium Florentinum, sed ipsam, *qua suprema est*, *DIVISAM* esse inter Summum Pontificem et Episcopos, quasi Episcopi in partem sollicitudinis vocati, ceu a Spiritu Sancto positi ad Ecclesiam Dei docendam et regendam sub unico Summo totius ovilis Pastore, etiam divinitus vocati fuerint ad participationem primatus seu supremae potestatis totius Ecclesiae capitis, anathema sit. [3])

5. Si quis dixerit supremam potestatem in Ecclesia a Christo constitutam non residere in totius Ecclesiae capite, sed in magna pluralitate Episcoporum, [4]) quasi non soli Petro dixerit Dominus: „Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni Coelorum", anathema sit.

6. Si quis dixerit contra professionem fidei a Concilio oecumenico secundo Lugdunensi acceptatam et confirmatam, Romani Pontificis Successoris B. Petri principis Apostolorum judicio *definiri* non debere quaestiones de fide, si quae subortae fuerint; eidemque judicio omnes Ecclesias non esse subjectas vel ipsarum praelatos obedientiam ac reverentiam illi dare non debere, anathema sit.

---

[1]) Mémoire soumis au prochain Concile du Vatican, par Mgr. Maret, Evêque de Sura.

[2]) Mémoire soumis, etc. ut supra.

[3]) Ibid. *contra sent. d. Thomae:* „Papa habet plenitudinem Pontificalis Potestatis, quasi Rex in regno; sed Episcopi assumuntur in partem sollicitudinis, quasi Judices singulis civitatibus praepositi". (S. Thomas q. 26. art. 3.)

[4]) Mémoire soumis, etc.

7. Si quis dixerit supremam ac plenam Summi Pontificis potestatem pascendi seu docendi universalem Ecclesiam non esse plenam ac supremam in definiendis quaestionibus fidei et morum, ita ut appellari liceat a judiciis dogmaticis supremi Ecclesiae capitis ad judicium episcoporum, sive dispersorum, sive coadunatorum, anathema sit.

8. Si quis dixerit judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata, sive episcopi super his sententiam suam exponant, sive omittant, *divina ac summa* per universam Ecclesiam auctoritate non niti, cui Christiani omnes ex officio, *ipsius quoque mentis* obsequium praestare tenentur, [1]) anathema sit.

9. Si quis dixerit Jesum Christum non fundasse Ecclesiam suam super Petrum, nec huic dedisse claves regni coelorum simul cum infallibilitate in rebus fidei, quam infallibilitatem in successoribus ejus immotam hucusque permanere omnibus perspicuum est, [2]) anathema sit.

10. Si quis dixerit petram supra quam a Christo aedificata est Ecclesia, id est Petri supremam auctoritatem in suis successoribus Romanis Pontificibus semper vigentem, posse in custodiendo deposito fidei deficere, et toti Ecclesiae errorem tamquam dogma fidei credendum proponere, perinde ac si frustra Christus dixerit „Pasce agnos meos, pasce oves meas; Ego oravi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos“, anathema sit.

Romae 25 Decembris 1869, In Nativitate Domini.

† Victor Aug. Arch. Mechliniens.

---

[1]) Juxta haec verba Cleri gallicani ad Innocentium X: „Judicia pro sancienda regula fidei a Summis Pontificibus lata super episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina aeque ac summa per universam Ecclesiam auctoritate niti, cui Christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium praestare tenentur.“

[2]) Juxta haec ejusdem Cleri gallicani verba in Comitiis anni 1626: „Ils respecteront aussi N. S. le Pape, chef visible de l'Eglise universelle, Vicaire de Dieu en terre, Evêque des Evêques et Patriarches, auquel l'apostolat et l'épiscopat ont eu commencement, et sur lequel I. C. a fondé son Eglise, en lui baillant les clefs du ciel avec l'infallibilité de la foi, que l'on a vu demeurer immuable en ses successeurs jusqu'aujourd'hui“.

6. POSTULATUM

EPISCOPI HALICARNASSENSIS AD VARIAS DOCTRINAS DE ECCLESIA SPECTANS.

Placeat Emis et Rmis Patribus Concilii Vaticani declarare quae sequuntur:

1. Civile imperium, quo Pastor Apostolicus Romae potitur ita ut nulli Principi humano subjaceat, ad liberam Ecclesiae Catholicae administrationem indispensabile est, et omnibus juribus fultum; unde hujus imperii laesio, direptio aut immutatio sine sacrilegio et latrocinio fieri nequit, et reum a communione Ecclesiae excludit.

2. Reges Christiani, non minus quam eorum subditi christiani, Capiti Ecclesiae subduntur et obedientiam debent in omnibus rebus conscientiam moralem ipsorum cernentibus, ergo etiam in exercitio suae potestatis.

Romae die 8 Januarii 1870.

De potestate Ecclesiastica.

Placeat Vaticano Concilio Oecumenico declarare quae sequuntur:

1. Ecclesia ut societas perfecta a Christo Domino instituta, Gubernium habet a potestate civili distinctum et independens, nec ab ista privari potest sua legitima facultate existendi, agendi, leges ferendi, bonaque temporalia pro supernis finibus suis acquirendi, possidendi et gerendi. Ecclesiam autem possessionibus suis spoliare sacrilegium est et latrocinium, ordinisque socialis eversio, atque maledictionem divinam attrahit sive guberniis sive privatis id committentibus.

2. Potestas ecclesiastica fidelium conscientiam etiam circa rerum temporalium usum obstringere, et legum suarum violatores poenis etiam temporalibus coercere potest, absque delegatione, permissione aut consensu potestatis civilis.

3. Ecclesia jure divino talem clericorum a foro civili immunitatem sibi vindicat, qualis ad munium ecclesiasticorum exercitium requiritur, praeprimis libertatem a servitio militari.

Romae die 8 Januarii 1870.

De potestate saeculari.

Placeat Concilio Vaticano declarare quae sequuntur:

1. Potestas saecularis originem a Deo habet, licet indirecte; ita ut etiam a populo electi reges jure divino regnent.

2. Leges civiles legi naturali, divinae et ecclesiasticae non contradicant, sed conformentur; secus invalidae sunt nec conscientiam obligant.

3. Potestas saecularis potestati ecclesiasticae ejusque institutis et legibus protectionem et subsidium debet.

4. Potestas saecularis „non sine causa gladium portat", ideoque jus et officium ejus est, bonos tueri, malos reprimere et punire.

5. Poenam capitalem in certa crimina graviora, praesertim homicidium, statuendi potestas saecularis jus habet idque divinum; cujus exercitium legale et moderatum ad bonum commune societatis requiritur, et ipsorum reorum saluti generaliter conducit.

Romae die 9 Januarii 1870.

De Institutione juventutis.

Placeat Concilio Vaticano declarare quae sequuntur:

Christianam juventutem educare ac instruere eccletiastici magisterii est; unde scholas christianorum erigere, dirigere et inspicere, magistros deligere, approbare, iisque invigilare; libros scholasticos examinare, approbare, praescribere: ad episcopale officium et sacerdotale ministerium pertinet, a quo sola familia christiana in educandis et instituendis liberis dependet et regitur.

Romae die 10 Januarii 1870.

De sic dictis Libertatibus.

Placeat Oecumenico Concilio Vaticano sequentia declarare:

Libertas conscientiae et cultus, atque jus publicae manifestationis cogitationum aut opinionum non habent locum nec valent contra Ecclesiae Magisterium, quod conscientiam obligat, cultum sincerum Dei determinat, et omnes manifestationes spirituum dijudicat.

Romae die 11 Januarii 1870.

De Beneficentia Christiana.

Placeat Concilio Oecumenico Vaticano declarare quae sequuntur:

Quum publica beneficentia, quae in fide fundatur et ex charitate manat, ab Ecclesia inventa et exculta sit, cura pauperum et miserabilium res sacra et Ecclesiae propria est, nec sine summa injuria et nonnisi in humani generis detrimentum Ecclesia impeditur, quominus hanc curam libere agat, pia instituta olim manibus ejus commissa conservet et administret, atque nova fundet.

Romae die 11 Januarii 1870.

† Nicolaus, Episc. Halicarnassensis.

7. POSTULATUM
AD SCHOLAS MIXTAS SPECTANS.

Illustres auctores Schematis de Ecclesia, ubi de relatione Ecclesiae ad publicam hominum societatem agebant, *Scholas* etiam pertractarunt sive inferiores sive superiores, quae utique utramque societatem ecclesiasticam et civilem aeque respiciunt. Merito Ecclesiae in iis jus vindicatur providendi religiosae institutioni et educationi Catholicae juventutis. Quaestionem de Scholis rem gravissimam innuere, ipsi Religionis *hostes* nota ea sententia confitentur: cujus sunt scholas, illius sunt tempora futura. Hominum namque generationes tales erunt, quales efformatae fuerint in scholis, vel in fide moribusque religiose excultae vel ad impietatem morumque corruptelam depravatae. Ea ratione religionis hostes ubique terrarum communi consilio in id connituntur, ut Ecclesiae auctoritatem et vim moderatricem a Scholis arceant easque soli et pleno *saecularis auctoritatis arbitrio* vel potius *corruptionis genio* subjiciant. Unde factum est, ut iidem hostes in acerrimo bello, quod contra rem Catholicam jugiter gerunt, *Scholas* quasi tot *propugnacula* constituant, quae Ecclesiae debellandae objiciunt, quatenus jam in puerorum adolescentiumque mente ideoque in generatione ventura pietatem et fidem catholicam radicitus extirpent. Sollicite igitur pervigilandum est, ut Catholica juventus in scholis vera fide et sanctis moribus rite instituatur, prout in schemate satis diserte exponitur. Sed *nil* in eo dictum est de *scholis mixtis* quae licet sicut quaedam pestis puerorum mentes vel impie-

tatis vel indifferentismi veneno inficiant, ubique locorum passim eriguntur et catervatim a catholica juventute frequentantur. Expedit igitur ut malum describam atque aliqua remedia medendi assignem. De *scholis mixtis* loquor in *Alemanica Helvetiae parte erectis.*

1. De Scholis *parochialibus* sive *primariis.*

Erant quondam et plerumque adhuc dum sunt incolis Catholicis propriae Scholae Catholicae a Catholicis fundatoribus conditae congruisque fundis provisae et cum *Ecclesiis Parochialibus*. intimo nexu conjunctae, ita ut socio auxilio Ecclesia scholam parochialem et sua vice schola Parochialis Ecclesiam et Catholicam religionem in quaque communitate sartam tectam servaret. Sed in permultis regionum partibus, ubi Protestantes et falsi nominis Catholici *majoritatem votantium* constituunt, impii Novatores illud unionis vinculum, qua Ecclesia et Schola parochialis invicem junctae erant, dirruperunt et Scholis Catholicis suppressis parvulos Catholicos una cum fundis Catholicis *Protestantium scholis* ideoque instructioni magistri alicujus Zwingliani et Lutherani vel omnino increduli vi latae legis adscripserunt. Magnus proinde fletus et ploratus parentum et parvulorum Catholicorum, sed incassum. Coguntur parentes Catholici per mulctam et poenam mittere infantes suos ad scholas Acatholicas, quas mixtas falso nuncupant, cum vere sint scholae Protestanticae vel nullius fidei. In ejusmodi scholis parvuli Catholici magistro Zwingliano instruendi committuntur, qui eis coram, data sibi occasione, fidei Catholicae veritatem, cultum divinum, leges, consuetudines, ss. sacramenta, coeremonias Catholicae Ecclesiae obtrectare, deridere et diffamare non praetermittit, ut parvulorum mentes falsis doctrinis inficiat; et ecquid iniquitatis semina, quae spargit, ad frugem iniquitatis accrescere debent? Ut iniqui illi legislatores acatholicis civibus facilius suaderent, scholas has *mixtas* sive acatholicas religioni *parvulorum* Catholicorum nil detrimenti esse adlaturas, primum Catholicae doctrinae instructionem a parochis tradendam in scholis primariis admittebant, sed brevi etiam eam *Religionis instructionem* e scholis eliminarunt, ita ut Catholici parvuli in scholis omnimodo arbitrio et seductioni ludimagistri Protestantici prorsus relicti, summum periculum perversionis et defectionis a fide Catholica subeant necesse sit. Etenim quodcumque ipsis a parocho proprio in Ecclesia parochiali verum ac divinum docetur, a ludimagistro in scholis falsum et humanae inventionis figmentum declaratur, et quodcumque eis sancte tenendum et pie servandum in Parochiali ecclesia commendatur, in schola mixta veluti res vilis et superstitiosa consuetudo calumniatur. Sed ejusmodi scholae non

solum in ludimagistro, verum etiam in libris elementariis, in spirituali aura, quae in iis viget, in doctrinis alloquiisque, quae feruntur, nonnisi negationem et odium in religionem et Ecclesiam Catholicam redoleant necesse est.

2. Quod vero dictum est de scholis mixtis inferioribus, id de scholis *mixtis mediis sive civilibus*, uti nuncupantur, majori adhuc ratione valet, in quibus pueri provectioris aetatis, in disciplinis, quae ad statum civilem spectant, erudiuntur. Idem in iis pro juventute perversionis periculum, idem ordo dissolutus et genium plerumque impium. Termini finesque locorum et communitatum jamdudum sublati fuere, quibus Catholici quondam a Protestantibus sejuncti degebant: nam apud nos fere in omnibus civitatibus, oppidis, vicis et communitatibus *Catholici mixti* cum *Acatholicis* omnimodo commorantur et quotidianae vitae commercio et conversatione invicem cohaerent. Unde saepissime fiat oportet, ut crescente in dies eorum numero *Acatholici communicationem in scholis* cum Catholicis impensissime quaerant, et Catholici cives vel fraude Protestantium vel propria animi levitate et pravis doctrinis occoecati saepenumero *pactum* cum Acatholicis ineant de commutanda schola hucusque pure catholica in scholam mixtam quae postmodum etiam Acatholicorum pueris instruendis inservit et plane neque catholica neque mixta sed protestantica est vel potius omnis religionis positivae prorsus expers. Brevi namque talis schola in mixtam commutata in potestatem moderatricem Acatholicae partis transit, velut tristis experientia docet. Unde fit, ut quod majores catholici pro tuenda educatione Catholica adolescentium pie fundaverunt, filii degeneres hostibus Religionis tradere non erubescant, qui de sua parte rem perfidia traditam in corruptionem Catholicae juventutis pervertunt.

3. Scholae Catholicae etiam *superiores* sive *Collegia* et *Gymnasia* in Gymnasia mixta iniquis legibus vel pactis commutantur. Et tristissimum ejusmodi commutationis exemplum ex mea diocesi S. Gallensi expono, quo uno cetera exempla omnia dignosci poterunt. Exstitit pro Catholicis incolis in S. Gallo jam decem abhinc ante annos Collegium sive Lyceum Catholicae fundationis satis splendidum. Catholicae Religioni, scientiis et artibus dicatum et a trecentis amplius adolescentibus Catholicis frequentatum. Opes et fundos hujusce Collegii quondam suppeditabat ditissima haereditas monasterii s. Galli injuria temporis anno 1805 extincti. Postquam populus Catholicus una cum celeberrimo hoc monasterio scholam eidem junctam amiserat, in ejus locum pro Catholicis in aedibus amplissimi Coenobii novum subvectum fuit Collegium, magnisque fundis

ditatum. Floruit schola haec Sangallensis recentior usque ad annum 1856, quo tandem iniquo et violento actu suppressa et in *mixtam* conversa fuit. Nam tempore nostro nec fundationes nec juris tituli et documenta contra novum jus violentiae et iniquae majoritatis amplius valent. In consilio Cantonali majori votantium numero Collegium illud Catholicae fundationis fuit suppressum, Catholico populo subreptum, in Collegium mixtum commutatum vel ut clarius dicam *parti Protestantium* traditum. Non defuere monitiones Episcopi universique Cleri, nec petitiones Catholicorum, eorumque lamenta ad auctoritatem legislatoriam directa, quominus iniquum hoc facinus committerent, sed non obstante solemni Catholicorum protestatione iniquum Decretum coeptum fuit et executioni commissum. Ad obtegendum malae machinationis finem fraudulenti novatores fingebant et etiamnunc asserere solent, scientiam proprie dictam nec Catholicam nec Protestantem esse, sed utraque fidei hac professione superiorem: Mathesim et linguarum studium pro Catholicis et Protestantibus sibi similem et parem, atque factorum in Historia narrationem utrique parti esse eandem, ideoque sufficere, ut *nonnisi religionis doctrina* discipulis pro separata eorum fidei professione seorsim et sejunctim tradatur. Sed quid de ejusmodi cavillationibus judicandum facile dignoscitur. Omnes namque experientia edocti sumus, omnem scientiam, quaecumque sit, ab hominibus erronea doctrina semel infectis ad expugnandas fidei Catholicae veritates perverti posse, ac saepissime in manifestam juvenum discipulorum perniciem reapse perverti. Novimus dein, quanta pestis spiritualis vel ab *Historiae disciplina* in mentes hominum dimanet, ubi fraude, dolo, mendacio Historiographorum violata fuerit. Tunc etenim non admirabilem temporum ordinationem, quam divina providentia in Christo, quasi in Centro saeculorum disposuit, enuntiabit historia, sed confusam impiamque rerum factorumque congeriem providi Dei moderaminis prorsus expertem; non luculentissima Ecclesiae Catholicae lumina et merita, sed fictam a nequissimis auctoribus ignominiam ejus et obtrectationem manifestabit. Catholici juvenes ejusmodi detractiones contra religionem et Ecclesiam catholicam projectas levi mente suscipiunt, a magistris Acatholicis in re litteraria edocentur, in communione quotidiana cum pueris Acatholicis conversantur, aerem vel impietate vel erroribus corruptum jugiter respirant atque sub continuo adjunctorum horum influxu fieri necesse est, ut sensim in fide Catholica tepescant, errores pedetentim suscipiant, indifferentismo, quinimo impietati et morum etiam corruptelae succumbant. Et hoc tristissimum praesagium, proh dolor! verus rerum eventus affirmat. Exactis namque in Collegio

mixto aliquot annis adolescentes, raro plerumque exemplo excepto, fidem Catholicam et pietatem amittunt, pereuntque pro Catholica Ecclesia, pro propria suae vitae sospitate et nisi gratia postmodum subvenerit pro salute aeterna. De filiis s. matri Ecclesiae quondam impense addictis brevi facti sunt infestissimi hostes, quam honoribus et muneribus mundi semel aucti, quomodocumque potuerint, acerrime expugnant. Ita crescat oportet *hostium* numerus in *propria Ecclesiae Catholicae domo* et fiant *infestissimi hostes ipsi domestici ejus.* Sed malum hoc gravissimum in dies augetur in generationibus futuris atque Ecclesiae exinde parantur funestissima fata, cum impia temporum horum potestas *per scholas mixtas eam quasi in radice* et *seminario fidelium perturbare* et *extirpare conetur.* Et hic *est questus meus* gemebundus, haec *lamentatio mea amarissima de scholis mixtis,* quam vobis Emi a Rmi PP. ad adjuvandum me refero: gravissima mala video, nec mederi valeo, cum ejusmodi scholae *statutis civilis nostrae Constitutionis* innitantur; quam mutare vires mihi desunt.

Habita ratione tot tantorumque malorum, quae in animas, in Ecclesiam et Catholicam societatem *ex Scholis mixtis* redundant, S. Concilium Vaticanum silentio praeterire eas non potest, sed remedia certa contra eas statuere debet. Imprimis, prout opinor, summi sui muneris et officii erit solemni suo consultu

1. Scholas mixtas cujuscumque generis ac ordinis reprobare,

2. Episcopos, parochos et parentes serio adhortari, utpote *Episcopos*, ut pro posse suo contra ejusmodi Scholas militent, *parochos*, ut Christianam juventutem ab eis arcere studeant, *parentes,* ne pueros suos ejusmodi scholis unquam committant,

3. *Magistratus civiles admonere*, ut Scholas Catholicae fundationis earumque facultates Catholicis iniqua vi et lege subtractas restituant, *liberamque puerorum instructionem* ipsis concedant, quam paterna utique potestas jure exigere potest.

Haec sanae doctrinae jurisque principia, siquidem ad tempus abs viris iniquae violentiae non respiciuntur, tempore, quod adveniet, forsan praevalebunt, nisi interim terrarum orbis prius ruerit atque appropinquaverit ventura ira!

Summo et perenni cultu.

Romae Idibus April. 1870.

† Carolus Joannes Greith
Ep. Sangallensis.

8. POSTULATUM

OCTO CONCILII PATRUM AD SOCIALISMUM SPECTANS.

Inter gravissima hujus aetatis mala eminet Socialismus. Impii et a Christiana veritate abhorrentes errores, qui amplissimis modis inter homines quotidiana manuum suarum industria victitantes sparguntur, tam christianam fidem in pauperum operariorum mentibus extinguere, quam universam societatem, rectumque socialem ordinem subvertere minantur.

Necesse ergo prorsus videtur, ut Oecumenica haec Synodus exsecrandis ejusmodi erroribus catholicam veritatem et moralis doctrinae justitiam sanctitatemque opponat; ut divites et proceres doceat officia, quibus erga pauperes, operarios, famulosque adstringuntur; et vicissim, quae sint istorum officia erga patronos, eosque quibus manuum operam praestant. Negari enim nequit, divitiarum praesertim cupiditatem et abusum, operariorumque neglectum, inhumanamque in eos duritiem, qua quintum et septimum divinae legis praeceptum latente quodam modo saepissime violatur, Socialismi errores, conatusque plurimum fovere.

Omnes etiam bonae voluntatis homines ab Oecumenica Synodo exspectant, vehementerque desiderant, ut recta et sancta socialis ordinis principia praedicet et tueatur; et religiosi praesertim operarii ad piam matrem Ecclesiam oculos manusque levant, ut christianae charitatis et justitiae leges in omnium mentibus resuscitet, et in societate restituat.

Quum vero in indice schematum, quae a theologis et ecclesiastici juris consultis praeparata fuerunt, nullum reperiatur, quod de illis principiis, veritatibus, mutuisque officiis agat, hinc subscripti Patres humillime instanterque petunt, ut in hoc Sacro Oecumenico Concilio gravissima ista et necessaria res opportune proponatur.

Romae die 11. Martii 1870.

Huic postulationi subscripserunt 8 Concilii Patres.

9. POSTULATUM

NONNULLORUM EPISCOPORUM RITUS MARONITICI ET RITUS CHALDAICI AD PRAESENTEM GENERIS HUMANI TRISTISSIMAM CONDITIONEM SPECTANS.

Clarissime notum est insigni Tuae sapientiae quantum difficillimis hisce temporibus undequaque minatur tranquillitas publica totius mundi, et divina praecepta, in quibus dependet felicitas humani generis praesenti saeculo et futuro, et speciatim praecepta secundae tabulae Decalogi spreta sint, et ipsa gentium jura pedibus conculcata; et ideo videmus permaximum periculum circümdare vitam, bona, ac jura uniuscujusque hominis, nemine excepto; ac propterea malum praevaluit bono, et tenebrae depellunt lucem. Cum autem unusquisque summopere optet sui liberationem ab his imminentibus aerumnis, et cum non inveniatur auctoritas non impedita, quae medeatur morbo isti pestifero, nisi Persona Tuae Sanctitatis, ideo ausi sumus offerre pedibus Tuae Sanctitatis hoc humillimum postulatum, adstante hoc Sacrosancto Concilio oecumenico Vaticano, congregato in Spiritu Sancto a suprema Tua Auctoritate: et enixe deprecamur sollicitudinem Tuam Apostolicam, ut in ipso eleves Magni Pastoris vocem contra ista mala innumerabilia, quae nostro saeculo vocantur progressus, et cogitandi libertas, sperantes, Te correcturum ista insana deliria, quae ducunt ad veram servitutem, et perennem infelicitatem, aut ad minus illa redigere inter limites ferreos, ut non possint iterum praetergredi confines, ne amplius mundus immergatur in abyssu scelerum, et iniquitatum; in ultimo certe omnipotentia coelestis judicis corriget omnia, sua justitia vindicatrice, quoniam ipse est omnipotens vindex, et omnibus sapientissime medebitur.

Homines vero corde recti, et amatores veri boni haud possunt expectare aliquam meliorationem status calamitosi hodierni mundi ab alia auctoritate, quantum hoc possunt expectare a Suprema Tua Auctoritate, quae certo plures habet auscultatores obtemperantes aliis quibuscumque Auctoritatibus, qui non solum audiunt sed etiam faciunt alios audire, et adjuvant, ut bonum praestet malo, et ita aliae Auctoritates audientes vocem Tuam, elevabunt ipsae etiam voces suas contra horum auctores malorum, qui perturbant subditos et ipsasmet Auctoritates. Certe, Beatissime Pater, nemo detrectat audire sana verba inducentia homines ad verum suum stabile bonum, et correctio optima fundata est in jure gentium ad rite componenda mutua societatis jura; propterea neminem rationabiliter posse

conqueri, dum detur illi jus suum, ac praesertim cum illo summopere indigeat.

Iterum atque iterum, Beatissime Pater, Te deprecamur, ut clames, et ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, et annuncia huic saeculo scelera sua, et populo perverso peccata sua, quoniam Te constitui Vigilatorem aeternae hominum salutis, et deprecamur Deum O. M. ut dextera sua omnipotenti Te perenniter conservet et adjuvet.

Romae 20. Februarii 1870.

Huic postulationi subscripserunt 5 Concilii Patres.

---

10. POSTULATUM

QUADRAGINTA CONCILII PATRUM AD EANDEM REM SPECTANS.

Intoleranda prorsus facta est praesens mundi conditio propter exercitus adeo ingentes, perpetuos ac sorte conscriptos. Sumptibus gravati gemunt populi. Impietatis spiritus, legumque in rebus, ut ajunt, *internationalibus* oblivio faciliorem omnino viam aperiunt bellis inchoandis illegalibus et injustis, seu potius horrendis caedibus longe lateque grassantibus.

Hinc imminuta pauperum subsidia, fractaque commercii ratio, hinc humana conscientia, vel devia penitus et aberrans, vel indigne laesa, plurimaeque tandem animae in aeternum pereuntes.

Tantis porro calamitatibus sola mederi potest Ecclesia. Cujus etiam voci licet non omnes aurem accommodent, ipsa tamen innumeris semper hominum millibus dux praeibit, intentumque serius ocius assequetur.

Caeterum, quod aeterna firmissime asserantur principia, id jam ex sese Divinae Majestati praestat, neque fructu suo carere potest.

De illa vero Ecclesiae cum mundo relatione, quod ad praedictas attinet veritates, viri graves rerumque publicarum periti, idem sentiunt ac non pauci alii viri sanctitate insignes Religionisque studio accensi, persuasum habent necessariam esse omnino declarationem, qua authentice promulgentur eae juris canonici partes, quae ad jura gentium et belli naturam spectant, illaque omnia respiciunt, unde vel officii, vel sceleris rationem bellum obtineat.

Quum hoc facto instaurata, ut ita dicam, fuerit moralis hominum conscientia, tunc amota videbimus pericula nobis jam jam imminentia, quod quidem per mundanam prudentiam rationesque politicas haudquaquam sperare fas est.

Huic postulationi, exhibitae die 10. Februarii 1870, subscripserunt 40 Concilii Patres.

11. POSTULATUM

PATRIARCHAE CILICIENSIS AD REM MILITAREM SPECTANS.

Quum in hisce luctuosissimis temporibus, sicut in diebus Noe, diminutae sint veritates a filiis hominum,[1] et multi jam non regnum Dei et justitiam ejus,[2] sed quae sua sunt quaerant,[3] videre est et imprimis in iis quae ad rem militarum spectant omnem aequitatem conculcari et omnia jura permisceri. Itaque, dum quidam hac tristi rerum conditione commoti, sed non secundum scientiam[4] sanctam sentientes, somniant tempus futurum quo homines, licet Deum non secuturi[5] non tamen amplius ulla bella videbunt, alii e contra bella quaecumque, vel potius strages et homicidia, magna et horribilia reputant licita; ita ut et nocendi cupiditas, et ulciscendi crudelitas, implacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, et si quae similia, non jam culpentur in bello.[6] Hinc illae immensae multitudines et exercitus perpetuo armatarum nationum, quasi perpetuo inter se hostilia parantium. Compertum igitur habemus, et eos qui bella jubent aut parant, et eos quibus haec jubentur, non jam amplius imperare et obedire juste,[7] sicut praecipit ordo naturalis, sed oblitos esse aut parvi pendere hoc grave, et quidem inter homines gravissimum mandatum Domini, olim per Moysem servum suum dicentis: Non occides.[8] Haud minus oblivioni vel despectui dederunt et antiqua dicta sanctorum Patrum, et praescripta Conciliorum a sancta Sede probatorum, nec non et

---

[1]) Psalm. 11. 2. [2]) Matth. 6, 33.
[3]) Philipp. 2. 21. [4]) Rom. 10. 2.
[5]) Quod si nolueritis sequi eum (Dominum) . . . Vos causa eritis necis omnium (Num. 32. v. 15.).
[6]) Decr. 2. part. Caus. XXIII. Quaest. 1. can. 4.
[7]) Decr. 2. part. Caus. XXIII. quaest. 1. can. 4.
[8]) Exod. XX. 13.

ipsorum summorum Pontificum documenta atque judicia, quibus constat nunquam in Ecclesia sancta Dei damnabiles non fuisse habitos tanti praecepti in hac parte transgressores.

Cujus erroris et agendi rationis perversae causa haec non omittenda est, nec sub silentio dissimulanda, scilicet impietas istorum, qui adversus Deum et adversus Christum ejus infrementes[1]) contendere ausi sunt omnium jurium originem et fontem esse cujuscumque, ut ajunt, reipublicae Statum[2]) et quidem ab Ecclesia sejunctum aut sejungendum;[3]) et quia abyssus abyssum invocat, in pejus prorumpentes inficiati sunt morum leges divina non egere sanctione[4]) et opus non esse ut leges humanae ad naturae jus conformentur.[5])

Verum enim vero unus est Legislator,[7]) et legimus in Veteri Testamento Dominum dixisse populo suo: „Ego Dominus et non est alius“ [7]) et Filio suo: „Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam“:[8]) quas postulavit Filius Dei Unigenitus quando exinanivit semetipsum, et in similitudinem hominis factus,[9]) intravit in hunc mundum, dicens: „Ecce venio ut faciam, Deus, voluntatem tuam;“ [10]) et datae sunt ei, quando se ipsum dedit in cruce Redemptorem pro omnibus,[11]) omnia trahens ad seipsum.[12])

Hinc Ipse Idem amantissimus Redemptor, Rex Regum, et Dominus Dominantium,[13]) dixit Apostolis et Petro: „Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: euntes ergo docete omnes gentes, docentes eas servare omnia quaecumque mandavi vobis.“ [14]) Deinde Petro soli, et ipsius persona Petri, soli Romano Pontifici, ejus successori: „Pasce oves meas;“ [15]) meas, inquit, et generaliter, non singulariter has, vel illas; per quod commisisse sibi intelligitur universas.[16]) Et ita coelestem ei potestatem tradens quodcumque ligandi, et solvendi in terris,[17]) constituit eum tamquam suum Vicarium super Gentes et Regna[18]) id est, super quoscumque rerum publicarum Status, postquam efficaciter, ut decet verum Filium Dei[19]) rogavit pro eo, ut non deficeret fides illius, ad confirmandum fratres suos.[20])

---

[1]) Psalm. 2. 1. 2.
[2]) Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores XXXIX. Prop. damnata.
[3]) Ibid. LV. Prop. damnata. [4]) Ibid. LVI. Prop. damnata.
[5]) Syllabus LVI. Prop. damnata. [6]) Jac IV. 12.
[7]) Esaï XLV. 18. [8]) Psalm. 2. 8. [9]) Philipp. 2. 7.
[10]) Hebr. 10. 9. [11]) 1. Tim. 2. 6. [12]) Joan. XII. 32.
[13]) Apoc. XIX. 16. [14]) Matth. XXVIII. 20. [15]) Joan. XXI. 17.
[16]) Constit. Unam Sanctam, de Majoritate et Obedientia.
[17]) Matth. XVI. 19. [18]) Jerem. I. 10. [19]) I. Joan. V. 20.
[20]) Luc. XII. 31. et seq.

Si ergo Deus voluit esse plures Potestates in Ecclesia sua spirituales scilicet et temporales, eas quoque voluit esse inter se ordinatas et gladium sub gladio. [1]) Igitur Ecclesiae unius et unicae, unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet, et Christi Vicarius.[2]) Cui tanto Vicariatu fungenti, et unico plenitudinis Apostolicae haeredi nos quidem inhaerentes, a quo et ipse Episcopatus noster emergit,[3]) cum lacrymis oramus et deprecamur in hac Synodo solemniter congregata, summum Deum ac Patrem, ut illuminet intelligentias omnium et corda Spiritu Sancto Suo, eo fine, ut omnes tandem gentes, et Regna, et populi, et nationes et reges terrae, quibus coadunatur et coadunari debet unicum ovile [4]) Domini Nostri Jesu Christi sub Pastore uno Ipsius Vicario,[5]) cui easdem omnes oves suas commisit, vere et plene agnoscant *Domnum Apostolicum* tamquam Patrem omnium Gentium et Episcoporum totius Ecclesiae [6]) et jam non amplius circumferantur omni vento doctrinae,[7]) sed ab ipso dirigantur in viam salutis aeternae, et sic justitiam et veritatem sectantes[8]) transeant per temporalia, ut tranquillam vitam agentes aeterna non amittant[9]) ad eum recurrentes bona voluntate tanquam ad Arbitrum et Judicem in omnibus rebus quae impediunt eorum perpetuam pacem.[10]) Interea confidentes divinae providentiae auxilio, quae tantam orbi felicitatem in tempore opportuno praestabit, errores in hac parte et perversas agendi rationes profligere statuimus, necnon et profiteri ac declarare Jus Gentium et Pontificium circa Rem Militarem et Bellum, sicuti profitemur et declaramus in Capitulis sequentibus.

CAPITULUM PRIMUM.

De solemnitatibus Belli.

Jus Gentium circa rem militarem et Bellum ante omnia requirit solemne Belli.[11]) Hinc bellum injustum est, ac proinde

---

[1]) Const. Unam Sanctam, de Majoritate et Obedientia.

[2]) Ibid.

[3]) Epistola Innocentii I. ad Concilium Carthaginiense (91. inter epist. Augustini, sic: a quo ipse Episcopatus et tota auctoritas nominis hujus emersit).

[4]) Joan. X. 16. et seq. [5]) De Majoritate et obedientia loc. cit.

[6]) Prout definivit Pelagius II. Constit. *Manifesto*, Item episcopus totius orbis, C. *Ad honorem* 4.

[7]) Ephes. IV. 14. [8]) Rom. IX. 30. [9]) Oratio Ecclesiae.

[10]) Id. Feria VI in Parasceve.

[11]) Jus militare est Belli inferendi solemnitas, . . . Decr. 1. part. dist. 1. c. X.

homicidiis et latrociniis plenum, quod non ex edicto et praedicto geritur,[1]) idest quod non fuerit ante omnia parti adversae indictum ac publice denuntiatum. Denuntiatione autem belli intelligitur gravaminum objectorum publica declaratio, cum legitimae et competentis reparationis aut satisfactionis petitione, parti adversae per Legatos solemniter facta. Indictionis nomine vero intelligere fas est edictum quasi judiciarium, quo publice denuntiantur belli causae simul, ac partis adversae contumacia.[2]) Dominus enim in Veteri Testamento jussit populo suo dicens: „Si quando accesseris ad expugnandam Civitatem" (et agebatur de civitatibus ab ipso Domino rejectis et damnatis) „offeres ei primum pacem;"[3]) et legitur in libro Judicum filios Israel misisse nuntios ad omnem tribum Benjamin, ut traderent viros de Gabaa ad satisfaciendum injuriae illatae, antequam bellum inferrent.[4]) Quicumque igitur sive princeps, sive dux aut miles aut bellum suscipere, aut in eo participare, hisce omissis solemnitatibus, praesumpserit, se sciat mortaliter peccasse, et quidem in genere homicidii, tamquam auctorem vel complicem in solidum omnium caedium, quae in tali bello vel potius impia strage fierent, atque insuper irregularitatem ex delicto, idest formalis homicidii causa, incurrisse, secundum decreta Patrum ac Summorum Pontificum sancita.[5])

CAPITULUM SECUNDUM.

De necessitate ac legitimis causis ad bellum justum requisitis.

Quia vero pacem habere debet voluntas, bellum necessitas[6]) et bellum vere belluae est, quae omnia devorat:[7]) ideo non licet absque gravi causa et nisi vera et quasi extrema necessitate juste imperante, suscipere bellum. Testatur enim

---

[1]) Justum est bellum, quod ex edicto geritur. Decr. 2. part. Caus. 23. quaest. 2. c. I. Corr. Rom. — In codicibus legitur ex praedicto. (Ibid.)

[2]) Corr. Rom. — Citat enim (Isodorus) Ciceronem, qui negat justum esse bellum nisi denuntiatum, nisi indictum. (Ibid.)

[3]) Deuter. XX. 10. [4]) Judic. XX. 12. et 13.

[5]) In bello manifeste injusto, sive offensivo, sive defensivo, licet pauci mutilentur seu occidantur, vel etiam unus solus occidatur vel mutiletur evadunt irregulares omnes militantes, quia omnes ad homicidium cooperantur, et constituunt unam causam totalem ad eam internecionem, arguitur ex cap. *Sicut dignum.* § Final. de Homicid. cap. *Quod in dubiis* 5, de Poenis, et ibi glossa verbo *Incitant* (Ferraris, verbo *Bellum*).

[6]) Cap. *Noli* (ex Augustino) 3. Caus. XXIII. quaest. 1.

[7]) Rot. Rom. Part. VIII. num. 9. Annot. ad decis. 29. — (apud Ferraris loc. cit.).

Nicolaus Papa in Responsis ad Bulgaros, omni tempore armis abstinendum, nisi necessitas urgeat atque inevitabilis importunarum rerum adsit concurrentia.[1] Abhorreant ergo Christiani Principes et populi a falsis bellorum causis, seu potius a suggestionibus diaboli, qui ab initio homicida erat.[2] Illi non semel aurem praebuere coeci homines, quum ad bellandum se motos praedicarent, nunc propter vanam gloriam, seu, ut ajunt, praestigium nationale, sub cujus vocabuli fumo latet superbia vitae, apud Joannem damnata,[3] peccatum draconis qui pugnabat cum Angelis ejus;[4] nunc propter imperii extendendi vel divitias augendi disiderium, quod non est aliud nisi concupiscentia oculorum,[5] radix omnium malorum cupiditas[6] et avaritia, ab Apostolo dicta idolorum servitus;[7] nunc etiam propter invidiam erga caeteras nationes vel principes, furorem hunc Caïnicum quem semper abominabitur Dominus, qui solus est jure aemulator justissimus, cujus nomen privative vocatur Zelotes.[8] Etenim haec eadem peccata aeque ac magis[9] detestanda sunt in nationibus et Guberniis, quae in hominibus privatis damnantur. At vere horrendum esset dicere insontes homines, qui, sive ut ostentarent se esse validos pugiles, aut gladiatores, sive ut aliena raperent, sive ut invidiae cederent, proximos privata auctoritate occidere meditarentur. Igitur non moveatur unquam bellum, nisi de necessariis repetendis juribus, vel hostium injuste invadentium propulsandorum causa.[10]

CAPITULUM TERTIUM.

De Officiis et Obedientia Ducum ac Militum.

Secundum Divi Augustini sententiam, ad malos jure puniendos, bella gerenda ab ipsis bonis suscipiuntur, quum in eo humanarum rerum ordine inveniuntur, ubi eos vel jubere tale aliquid, vel in talibus obedire juste ordo ipse constringit.[11] Sciant ergo Duces ac Milites se militare debere tamquam bonos viros, Deo Sacramento Baptismi ligatos;[12] ac proinde juramentum seu quod vocant sacramentum Militiae non adversari

---

[1]) Decr. 2. part. Caus. XXII. Quaest. 8. c. 15.
[2]) Joan. 8. 44. [3]) I. Joan. 2. 16. [4]) Apoc. 12. 7.
[5]) I. Joan. 2. 16. [6]) I. Timoth. 6. 10. [7]) Eph. 5. 5.
[7]) Exod. 34. 14.
[9]) *Judicium durissimum his qui praesunt:* Sap. 6. 6.
[10]) Decr. 2. part. Caus. XXIII. Quaest. 2. c. 1.
[11]) Ibid. Quaest. 1. c. 4.
[12]) Vide Martyrium SS. Mauritii et sociorum apud Bolland. Acta Sanctorum 22. Septembris.

legi Christianae, nec unquam adversari posse. Hinc nihil in bello justo agant contra jus Gentium, immunitates personarum et rerum Deo sacrarum, necnon ruricolarum, et operariorum artibus pacis incumbentium, feminarum, puerorum, senum et omnium innocentium agnoscant, et rite observent.[1] Se esse justitiae servos ac ministros, non autem crudelitatis, nec cupiditatis, nec vanae gloriae meminerint; contenti stipendiis suis, neminem concutientes,[2] legitime quisque in suo gradu, superioribus suis obedientiam praestent.

CAPITULUM QUARTUM.

De auctoritate et consilio in bellis suscipiendis, et forma Judicii de Justitia belli.

Quoad bellum suscipiendum Auctoritas et Consilium non apud cives singulatim sumptos, sed apud Nationes et earum Principes et Gubernia est. Nam cives singuli, si laesi fuerint, jure possunt ad Superiores appellare, vel recurrere, quin inter se aut cum alienigenis pugnent, et ordo naturalis mortalium paci accommodatus, requirit ut ita se Res Militaris habeat.[3] Verumtamen si in Ecclesia Dei cautum est ne Episcopus absque consilio aliquid agat grave, pari saltem norma circa tanti momenti rem nationes seu earum Principes, et Gubernia uti necesse perspicitur. Quapropter, ut justitia, et justitiae forma in bellis suscipiendis caute servetur, opus est ut leges cujusque regni et populi statuant viros non tantum peritos, sed et maxime probos consulendos esse, a quibus secundum jus Gentium, et leges Evangelicas necnon et Canonicas seu Pontificias, causarum belli justitia prudenter examinetur, et libere declaretur. Nam Jure disceptare, est juste judicare; et non est Judex, si non est in eo Justitia.[4]

VOTUM SYNODI.

I. Universis compertum est, quot quantaque scelera et mala tam spiritualia quam temporalia novissimis praesertim hisce temporibus ab injustis bellis dimanaverint, ita ut fundamentales societatis humanae conditiones subverti videantur.

---

[1] Capit. *Innovamus* de tregua et pace.
[2] Luc. III. 14.
[3] Caus. XXIII. Quaest. 1. Can. IV. (August).
[4] De Re Militari et Bello. Quaest. II. Can. 1.

II. Haec eadem calamitas Orientem quoque invadit miserrimis suis effectibus et ad gentem nostram Ecclesiamque, et ad universam in Oriente Rem Catholicam teterrima exinde damna oriuntur, quibus, ut rem pro veritate dicamus, obnoxium quoque est Providissimum Paternumque nostrum Gubernium, cui gratum habet animum tota Armena Hierarchia, praesertim pro religiosa libertate qua ipsa fruitur.

III. Haec autem calamitosa conditio magis noxia evadere dignoscitur, eo quod sit teterrimus effectus perversorum quorumdam principiorum, quibus justitia et jura gentium conculcantur.

IV. Hinc non amplius justitia sed jus fortioris, aut secretarum molimina societatum, in humanam societatem ubique grassantur.

V. Hinc principia quoque Christianae moralitatis sus deque vertuntur, per illas neotericas perversasque doctrinas, quas nonnullae Ephemerides, factae jam impietatis instrumenta, et secretarum societatum conatus per omnes regiones excitare atque propagare nituntur, et jam praeruptus tantae impietatis torrens nostras quoque plagas invadit.

VI. Speciatim vero idea praecepti Decalogi „Non occides", cujus Custos et Interpres est ipsa Sancta Catholica Ecclesia, propter injusta bella tam vitiata est in mente populi, ut inter bella justa, ac injustas caedes stragemque jam omne discrimen ablatum videatur, neque inter utrumque populus discernere valeat.

VII. Sed quia Christus Dominus noster, cum suam in terra instituit Ecclesiam, illi soli non modo Divinae suaé revelationis tradidit depositum, sed et infallibilis magisterii Auctoritatem usque ad consummationem saeculi duraturam, neque per Gentium vel regionum amplitudinem limitandam, ejus Officium et omnibus gentibus et nationibus justitiam ac moralem Evangelii legem praedicare ac docere, et haec inerrabilis magisterii inviolabilis Auctoritas in persona Petri legitimis Ejus Successoribus est concredita.

VIII. Quamvis autem zelantissimi Ecclesiae Ministri vocem suam extollentes, perversa haec principia impugnare Jusque Gentium, ac sacra moralitatis principia propugnare, et bella justa inter ac caedem stragemque discrimina populos edocere pro viribus conentur, attamen inter clamores impietatis vox zelantissimorum Pastorum jam ferme extingui videtur.

IX. Quare Patres hujus Synodi miserrimum hoc spectaculum a longe non sine lacrymis aspicientes et horum principiorum quae omnia delere minantur, quaeque libertatis, nationalitatis, et similium fallacium nominum sub velo abscondita sunt, giganteos Orientem versus impetus conspicientes apprime

intellexerunt, quod eo magis aggressiones istae noxiae sunt nobis, quo debilior est conditio nostra.

X. Quapropter haec omnia in hac nationali Synodo contemplantes et in tribunali justitiae perpendentes, Patres Synodales vocem suam ad Cathedram Romanam et Tibi Vicario Domini nostri Jesu Christi, cui concredita est suprema infallibilis magisterii auctoritas, extollunt, et his praesentibus scriptis Synodalibus consilium suae mentis Tibi proponere festinant, et Te Christi Vicarium adprecantur, ut si opportunum Tibi videbitur, gravis haec et valde necessaria quaestio imminenti Oecumenico proponatur Concilio, et Jus Gentium solemniter ibidem proclametur atque tyrannica juris fortioris principia penitus condemnentur, et Divini praecepti „Non occides" vera notio omnibus praedicetur, bellaque injusta vere caedem stragemque constituere denuo confirmetur. Hinc et solemniter justi belli conditiones juxta canonicum Jus, quod ubique proculcatur, ab eodem Oecumenico Concilio infallibili Auctoritate publicentur. Et quia universa haec impietas, quae omnia destruere minatur, necessario exigit, ut in applicatione principiorum Christianae moralitatis, et canonum Ecclesiae, permanens et incessans veritatis oraculum quocumque vocem suam extendere, omniumque conscientiam tutam reddere possit: Quapropter haec ipsa Synodus illud valde necessarium esse reverenter ac humiliter credit, quod Oecumenico Concilio, si ita Tibi videbitur, proponatur, ut apud Sedem Petri permanens supremumque ex omnium Gentium juris peritis compositum Tribunal constituatur, quod in verbo belli examinet et perpendat utrum mutuae societatum relationes cum moralibus Christianae Religionis legibus conveniant; ac nomine Sedis Petri defensor Jurium gentis constituatur, cujus vox juridica ab infallibili Tua Auctoritate, qui Vicarius es Christi, confirmata, canon seu regula publicae constituatur conscientiae; quo fiet etiam ut humana societas ab imminentis ruinae praecipitio erepta, quo perversa praesentis temporis socialia principia trahendo dejicere eam minantur, tandem aliquando quiescat; et Gubernia ab immani illa necessitate liberentur ingentes perpetuo alendi exercitus, qui cum magno sint incitamento socialis corruptionis morum, innumeras quoque aerumnas teterrimosque effectus progignunt, populisque jam intolerabile pondus omnino efficiuntur.

Ego infrascriptus Testor quod per extraordinariam motionem formula, cujus authentica et fidelis traductio praecedit sub titulo „Votum Synodi" lecta fuit Armeno idiomate in Congregatione Generali 75. Diei 20. Octobris anni 1869. Synodi

Patriarchalis Armenorum habitae Constantinopoli praedicto anno, cui Synodo omnes Antistites Armeni numero viginti intervenerant, et in forma schematis pro examine ejusdem Patribus Synodalibus fuit per varia exemplaria distributa, et postea in Congregatione Generali 78. Diei 28. ejusdem mensis et anni, facta interpellatione a Promotore Synodi, eadem formula fuit unanimiter ab omnibus Patribus adprobata eamque litteris Synodalibus consignari statutum fuit, prout in verbali Processu, et actibus Notarialibus ejusdem Synodi relatum est.

Datum Romae, ex Aedibus „Ritiro Piatti"
Die 10. Martii 1870.

Antonius Petrus IX.
Patriarcha Ciliciensis.
Jacobus Kafdangian
Notarius Synodi Patriarchalis.

12. POSTULATUM

PRO DOGMATICA DEFINITIONE ASSUMPTIONIS CORPOREAE IN COELUM DEIPARAE.

Eminentissimi atque Excellentissimi Patres!

Postulatum a fere bis centum Patribus Concilii Vaticani, Cardinalibus scilicet, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Nullius Abbatibus, et supremis Sodalitiorum Regularium Moderatoribus, germanis sensus totius Ecclesiae interpretibus, obsignatum incredibili laetitia exultantes Vobis exhibemus. In eo enim ad majorem Dei Filii atque Deiparae gloriam, ad ineffabilem omnium Christifidelium consolationem, Beatam Mariam anima immaculata et corpore virgineo ad dexteram Dei Filii, nostram praestantissimam mediatricem in coelis adstare, a Sacrosancto Concilio Vaticano explicite et solemniter declarari, et definiri perardenter postulatur. Omnes quidem certam habent spem generalia Ecclesiae Catholicae Comitia, quae sub faustis auspiciis Almae Reginae ab omni originali labe immunis tam felicia habuere exordia, Ipsa Patrona, interemptis cunctis haeresibus, ad desideratam usque metam quamprimum et feliciter esse perventura.

Romae die XXIII Februarii A. R. 1870.

Humillimi et Addictissimi
† Joseph Bened. Dusmet. Archiep. Catanien.
† Ludovicus M. Idèo Episc. Liparen.

Momenta pro dogmaticae definitionis Assumptionis Corporeae Beatae Mariae Virginis in coelum possibilitate.

I. Pervetustus et constans utriusque Ecclesiae Occidentalis et Orientalis cum docentis tum discentis est sensus circa Corpoream Deiparae Assumptionem. Hoc autem factum, quod scilicet hominis corpus ante extremum judicii diem in coelis vivat, neque sensibus, neque humana auctoritate testificari potest; quamvis enim Scriptura dicat Enoc et Eliam raptos esse in coelum, inferri non potest ad intuitivam Dei visionem admissos esse. Nisi igitur firmissima Ecclesiae fides quoad Corpoream Beatae Mariae Virginis Assumptionem dici velit levis nimis credulitas, quod vel cogitare impium est, procul dubio eam a Traditione divino-apostolica, idest a Revelatione ortum habere firmissime tenendum. Quod gloriosum quidem facinus Divo Evangelistae Joanni, qui post Beatae Virginis dormitionem obiit, revelatum esse potuit.

Insuper Deiparae Virginis anticipata resurrectio et integra glorificatio, cum connexa cum Divina Maternitate et Immaculata Conceptione sint, inter facta dogmatica jure merito accenseri possunt.

Idcirco Assumptio Deiparae Corporea cum Sanctorum Canonizatione, vel Petri Romam adventu comparari nequit; quippe quod istae veritates ad summum ecclesiasticae certitudinis sunt, de quibus tamen dubitari minime potest, quin fides labefactaretur; illa vero definibilis de fide est, quia inter facta dogmatica sensibus non subjecta accensetur, atque traditioni divino-apostolicae consignata est.

Praeterea magni momenti est animadvertere juxta ordinariam Dei oeconomiam animas justorum, quibus nulla supersit peccatorum poena luenda, illico post mortem ad intuitivam Dei visionem admitti: ast non ita esse de corporibus, quae tantum in novissimo judicii die evigilabunt resumptoque spiritu divino intuitu fruentur.

II. Neque locupletissima SS. Patrum testimonia a remota aetate ad duodecimum usque saeculum desiderantur, qui uti testes divinae revelationis hanc veritatem propugnant, atque in nonnullis Sanctarum Scripturarum oraculis etiam insinuari autumant. Antiquiorum vero Patrum silentium, quod ad summum est argumentum negativum, a posteriorum aetatum Patribus abunde compensatur.

III. Nec theologorum suffragia a duodecimo ad nostrum usque aevum desunt, qui pro virili sua parte hanc veritatem propugnant.

IV. Pro pià sententia gravissima quoque theologica militant momenta, quae nempe a Divina potissimum Maternitate desumuntur. Si enim Christi caro caro Mariae est, prout ille corruptionem minime vidit, ita et ista. Immaculata insuper Conceptio huc etiam potissimum spectat. Si enim a labe peccati fuit immunis, ita etiam ab ejusdem peccati poena, ideoque a corruptione carnis immunis esse debuit. Multis denique aliis omissis argumentis, cum SS. Virgo Angelorum sit Regina, incongruum esset Angelicos Spiritus in propria natura perfecta Divina Visione frui, eorum autem Reginam ad novissimum usque judicii diem integram expectare Dei visionem.

Momenta pro invocatae definitionis opportunitate.

I. Revelatas solemniter manifestare veritates peropportunum semper est. Ait enim Christus: *quod dico vobis in tenebris praedicate super tecta.* Et sane aliquam implicite revelatam veritatem aperte praedicare est semper recens victoria, fideique imperii extensio adversus rationalismum hac nostra aetate tam impie grassantem.

II. Tenerrimi hujus promulgatio dogmatis aperta esset Divinitatis D. N. J. C. confessio; tali enim privilegio divinae Maternitatis intuitu Deipara fuit condecorata, adeoque diris devoverentur errores, qui nostro quoque aevo Christi Divinitatem tam sacrilege impetunt.

III. Cumque de Beata Virgine canat Ecclesia: *Cunctas haereses sola interemisti in universo mundo;* dogmatica ejusmodi definitio quin esset haereticis ansa in haeresi insurdescendi, eos in ovile potius Christi per eam reductum iri sperandum.

IV. Suavis haec decretatio esset sensibile argumentum articuli fidei *Credo carnis resurrectionem.* Claro enim hoc facinore Materialismo, nec non Indifferentismo, sanientibus temporum nostrorum plagis, ostracismus daretur. Ecclesia enim exaltans quasi tuba vocem suam lethali depressis sopore clamaret: *Sursum corda.*

V. Lucentissima hac nova aureola cyclus Mariae gloriarum in hac Hierosolyma militante clauderetur.

VI. Cum lex supplicantium sit lex credentium; pastorum et gregum vota hanc solemnem decretationem expostulant; et hac causa fidei meritum augeretur, ex fide enim, quod nunc ex pietate, divinitus teneretur.

VII. Concilium Vaticanum I. sub auspiciis Almae Virginis ab omni labe immunis inchoatum, dum luculentum erga Deiparam pietatis monumentum poneret, ad desideratam usque

metam, ipsa patrona, quamprimum et feliciter perventurum certo confidimus.

Quae omnia quidem argumenta fusiori calamo enucleata examinari possunt in opere, cui titulus: De Corporea Deiparae Assumptione, an dogmatico Decreto definiri possit, Disquisitio historico-critico-theologica Aloysii Vaccari Cassinensis etc.

Cum infrascripti Concilii Vaticani Patres juxta perpetuum utriusque Ecclesiae sensum et venerandam traditionem Beatam Mariam Virginem intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris, sicut de peccato per Immaculatam Conceptionem et de concupiscentia per Virginalem Maternitatem, ita de inimica morte singularem triumphum retulisse, per acceleratam ad similitudinem Filii sui Resurrectionem, firmissime teneant: ideo, ut ejus gloria novo splendore augeatur ejusque praesidium ad interimendas haereses hac nostra piaculari aetate grassantes, Eamque et Deum Filium ejus impetentes, magis magisque Ecclesia experiatur, et Christifideles votorum sint tandem compotes; Deiparam anima et corpore coelo adesse viventem solemniter declarari, proclamari atque definiri a Sacrosancta Vaticana Synodo, quam ardentissime expetunt.

Huic postulationi subscripserunt 18 Concilii Patres.

Beatissime Pater!

Quum juxta Apostolicam doctrinam, Rom. V—VIII. I. Cor. XV—24, 26, 54, 57, Heb. II—14, 15, aliisque locis traditam, triplici victoria de Peccato, et de Peccati fructibus, Concupiscentia et Morte, veluti ex partibus integrantibus constituatur ille triumphus, quem de Satana, antiquo Serpente, Christus retulit; quumque Gen. III, 15, Deipara exhibeatur singulariter associata Filio suo in hoc triumpho; accedente unanimi Sanctorum Patrum suffragio, non dubitamus, quin in praefato oraculo, eadem Beata Virgo triplici illa victoria praesignificetur illustris; adeoque non secus ac de Peccato per Immaculatam Conceptionem, et de Concupiscentia per Virginalem Maternitatem, sic etiam de inimica Morte singularem triumphum relatura, per acceleratam ad similitudinem Filii sui resurrectionem, ibidem praenunciata fuerit. Id quod ex naturali unitate carnis, Christum inter ejusque Matrem, illustrationem novam accipit. Optimo igitur jure Christum Jesum ita alloqui Sanctissimam

Matrem suam posse clarissimus Suaresius docet, III part. q. XXXVII, art. 4. „Haec nunc est caro, de qua est caro mea.“ Et nos omnes firmiter affirmare possumus, Corpus Virginis fuisse quodammodo initium humanae salutis, quia ex illius sanguine corpus Christi sumptum est, quod fuit nostrae salutis pretium; ideoque inconcussa fide tenendum, idem Virginis Corpus singulari modo redemptionem participasse, seu anticipatam gloriam et immortalitatem consequutum fuisse.

Insuper de hac Immaculatae Virginis Resurrectione et in coelos Assumptione, uti ex concordi majorum consensu, et constanti, publico, solemnique cultu clare evincitur, antiqua est utriusque Ecclesiae traditio; ad quam servandam rei manifesta cohaerentia cum aliis Beatae Virginis praerogativis, carentia reliquiarum, sepulchrumque corpore virgineo vacuum conspirabant. Quod si aliquando nonnullis haesitatio quaedam fuit, occasione, ut videtur, Decreti Gelasiani, de Libris Apocryphis, ea tamen non obstante, antiqua et venerabilis sententia talem nacta est a pluribus saeculis consensum, ut a Theologis communiter habeatur pro certa et definibili de fide, de qua dubitare viro catholico nefas sit: immo non desunt graves auctores, qui eam ut jam de fide habeant. Satis heic erit in memoriam revocare Benedicti XIV. verba, qui postquam pro virili sua parte de pia sententia disseruerit, addit, De canoniz. Sanct. lib. I. cap. XLII. n. 15. De eodem scilicet festo loquitur sanctus Bernardus, ep. 174. ad Can. Lugd. num. 3. Tom. II. opp. „Accepi sane ab Ecclesia illum diem cum summa veneratione recolendum, quod coelis intulit celeberrima festa gaudiorum. Gregorii praeterea Turonensis, Andreae Hierosolymitani, Gregorii Magni pontificis, Ildephonsi Toletani Episcopi, Joannis Damasceni, Bernardi Abb. assertiones praeclare ostendunt Beatissimam Virginem placida morte terris ereptam in coelos statim assumptam fuisse. Piae ac religiosae sententiae de assumpto in coelos Virginis corpore rationes etiam theologicae suffragantur petitae ex dignitate matris Dei, ab excellenti virginitate, ab insigni super omnes homines et angelos sanctitate, ex intima cum Christo filio conjunctione et consensione, ex filii in matrem dignissimam affectu; denique, quod caput est, si ecclesia non modo assumptam in coelum Virginem celebrat, sed etiam homilias sanctorum Joannis Damasceni et Bernardi legendas fidelibus tradit, quae cum corpore simul et anima assumptam disertissimis verbis affirmant, de ejus auctoritate et suffragio neutiquam dubitandum esse videtur.“

Exinde plane constat hoc privilegium, quod in systemate Mariano conspicua pars est, quodque tantopere cum aliis

doctrinis revelatis cohaeret, Apostolos, ipsumque Joannem latere non potuisse, proindeque ex Apostolica traditione Ecclesiae innotuisse.

Ex his, aliisque gravibus momentis, quae ab antiquis sexcentisque rerum ecclesiasticarum scriptoribus passim afferuntur, hanc piam vetustamque sententiam omni firmitate muniri, atque de fide definibilem esse novimus.

Quapropter, Beatissime Pater, qui a paucis abhinc annis, Tuum infallibile oraculum, longo jam populorum desiderio expectatum, effusaque gentium deprecatione expetitum, maximo episcoporum et Christifidelium plausu exceptum, Dogmaticam nempe definitionem de Immaculato primo Deiparae Conceptu emisisti; a Te Nos et christianae plebes sollicitudini nostrae commissae quam vehementer expostulamus, ut Ecclesia, omnia Deiparae ornamenta et triumphos in unum congerens, illam anima simul et corpore coelorum sedibus fuisse receptam definiat.

Neque enim hoc gloriosum facinus immerito postulatur; quippe sicut virgineo pede antiqui serpentis caput Beata Virgo contrivit, ita solemni hac nova gloriae suae manifestatione Christi Filii sui, suosque hostes in hac piaculari aetate grassantes invicte conteret. Si Illa quidem ad nos misericordes oculos convertat, immanes, qui debacchantur errores, rationalismum praesertim et materialismum, ceu tumentes aequoris fluctus confringendos, vitiaque nefanda, quae veluti Noëmi aevo terram undique polluunt, exulatura fore confidimus. Quin immo ipsis catholicae fidei adversariis, praelucente maris stella, ad Petri navigium festinanter remeantibus, unum erit ovile et unus pastor.

Quae cum ita sint, Sanctissime Pater, Sacerdotii culmen et apex, et Ecclesiae catholicae os, Nos Vaticani Concilii a Te indicti Patres ad Tuos pedes, de quibus dictum est: *Quam pulchri pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona,* devote provoluti, Deiparam anima immaculata et virgineo corpore in coelos viventem, supremo Tuo magisterio, in hac Sacrosancta Synodo firmari, proclamari, definiri, enixis precibus postulamus; ideoque chyrographo nostro has supplicationes fidenter obsignamus.

Huic postulationi subscripserunt 113 Concilii Patres.

Cum infrascripti Concilii Vaticani Patres juxta perpetuum utriusque Ecclesiae sensum et venerandam traditionem Beatam

Mariam Virginem intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris, sicut de péccato per Immaculatam Conceptionem et de concupiscentia per Virginalem Maternitatem, ita de inimica morte singularem triumphum retulisse, per acceleratam ad similitudinem Filii Sui Resurrectionem, firmissime teneant: ideo, ut ejus gloria novo splendore augeatur ejusque praesidium ad interimendas haereses hac nostra piaculari aetate grassantes, Eamque et Deum Filium ejus impetentes, magis magisque Ecclesia experiatur, et Christifideles votorum sint tandem compotes: Deiparam anima et corpore coelo adesse viventem solemniter declarari, proclamari atque definiri a Sacrosancta Vaticana Synodo, quam ardentissime expetunt.

Huic postulationi subscripserunt 31 Concilii Patres.

Cum infrascripti Concilii Vaticani Patres juxta perpetuum utriusque Ecclesiae sensum et traditionem venerandam Beatam Mariam Virginem intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris, sicut de peccato per Immaculatam Conceptionem, et de concupiscentia per Virginalem Maternitatem, ita et de inimica morte singularem triumphum retulisse per acceleratam ad similitudinem Filii Sui Resurrectionem firmissime teneant: ideo, ut ejus gloria novo splendore augeatur, ejusque praesidium ad interimendas haereses hac nostra piaculari aetate grassantes, Eamque et Deum Filium suum impetentes, magis magisque experiatur, et Christifideles votorum sint tandem compotes; Deiparam anima et corpore coelo adesse viventem solemniter declarari, proclamari, atque definiri a Sacrosancta Vaticana Synodo quam ardentissime expetunt.

Huic postulationi subscripserunt 5 Concilii Patres.

Cum inter ea, quae universalis Ecclesia credenda semper retinuit, ac Christi fideles maxima devotione venerati sunt, sit illud finale privilegium Beatissimae Virginis Matris Dei Mariae, ex quo creditur, quod, sicut a Deo, qui Eidem fecit magna, custodita fuit a corruptione peccati in ipso suo primo introitu ad vitam, sic et in felici suo exitu, ob reverentiam virgineae carnis, ex qua carnem sumpsit, a corruptione corporis servatam immunem, quin tamen Ecclesia Docens hoc de fide definierit; infrascripti Sacri Vaticani Concilii Patres, ad majorem Dei,

Deiparaeque gloriam, ad meritum et firmitatem Fidei, ad fidelium consolationem, devotissime efflagitant, ut de doctrina corporeae Virginis Assumptionis in Coelum in ipso Sacro Concilio pertractetur, ac (quod Deus concedat) si ipsi videbitur, dogmatice declarare ac definire dignetur, Mariam Virginem Sanctissimam corpore et anima, ad similitudinem Filii Sui Salvatoris Nostri, in Coelis gloriose regnare.

Huic postulationi subscripserunt 13 Concilii Patres.

Cum infrascripti Concilii Vaticani Patres juxta perpetuum utriusque Ecclesiae sensum et traditionem venerandam Beatam Mariam Virginem intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris, sicut de peccato per Immaculatam Conceptionem, et de concupiscentia per Virginalem Maternitatem, ita et de inimica morte singularem triumphum retulisse per acceleratam ad similitudinem Filii Sui Resurrectionem firmissime teneant; ideo, ut ejus gloria novo splendore augeatur, ejusque praesidium ad interimendas haereses hac nostra piaculari aetate grassantes, Eamque et Deum Filium ejus impetentes, magis magisque experiatur, et Christifideles votorum sint tandem compotes; Deiparam anima et corpore coelo adesse viventem solemniter declarari, proclamari, atque definiri a Sacrosancta Vaticana Synodo quam ardentissime expetunt.

Huic postulationi subscripserunt duo Concilii Patres.

Cum infrascripti Concilii Vaticani Patres juxta perpetuum utriusque Ecclesiae sensum et traditionem venerandam, Beatam Mariam Virginem, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris, sicut de peccato per Immaculatam Conceptionem, et de concupiscentia per Virginalem Maternitatem, ita et de inimica morte singularem triumphum retulisse, per acceleratam ad similitudinem Filii Sui Resurrectionem firmissime teneant; ideo ut Ejus gloria novo splendore augeatur, Ejusque praesidium ad interimendas haereses hac nostra piaculari aetate grassantes, magis magisque experiatur, et Christifideles votorum sint tandem compotes; Deiparam anima et corpore coelo adesse viventem solemniter declarari, proclamari atque definiri a Sacrosancta Vaticana Synodo quam ardentissime expetunt. Nos quidem cum omnibus Patribus certam fiduciam habemus, generalia Comitia Catholicae Ecclesiae, quae sub tam faustis

auspiciis Almae Mariae Virginis ab omni labe originali immunis tam felicia exordia habuere, Ipsa protegente, interemptis cunctis haeresibus, ad desideratam usque metam quam primum et feliciter fore perventura.

Huic postulationi subscripserunt quinque Concilii Patres.

Cum inter ea, quae universalis Ecclesia credenda semper retinuit, ac Christi fideles maxima devotione venerati sunt, sit illud finale privilegium Beatissimae Virginis Matris Dei Mariae, ex quo creditur, quod, sicut a Deo, qui Eidem fecit magna, custodita fuit a corruptione peccati in ipso suo introitu ad vitam, sic et in felici suo de mundo exitu, ob reverentiam virgineae carnis, ex qua Deus ipse carnem sumpsit, a corruptione corporis servatam immunem, quin tamen Ecclesia Docens hoc de fide definierit; infrascripti Sacri Vaticani Concilii Patres, ad majorem Dei Deiparaeque gloriam, ad meritum et firmitatem fidei, ad fidelium consolationem, devotissime efflagitant, ut de doctrina corporeae Virginis Assumptionis in coelum in dicto Sacro Concilio pertractetur, ac (quod Deus concedat) si ipsi videbitur, dogmatice declarare ac definire dignetur, Mariam Virginem Sanctissimam corpore et anima, ad similitudinem Filii Sui Salvatoris Nostri, in coelis gloriose regnare.

Huic postulationi subscripserunt 7 Concilii Patres.

PROPOSITIO AD CONCILIUM.

Episcopus Giennensis in Hispania petit a Concilio ut tamquam dogma fidei declaretur, vel potius acclametur *Assumptio Beatae Mariae Virginis in Coelum.*

Indicanda ut postea verbo explicentur.

1. Dogma fidei est Conceptio immaculata B. M. V.; dogma fidei oportet esse ejusdem B. M. V. Assumptio.

2. Peccati stipendium mors. Quae non peccavit, poenam peccati non potuit ferre. Decuit in coelum gloriosé transire.

3. Sicut praemium immunitatis est glorificatio desumpta ex radice sanctificationis, ita et triumphalis corona debuit esse in B. M. V. Assumptio singulariter gloriosa.

4. Festum quo celebratur Assumptio B. M. V. in coelum solemnis quaedam professio est fidei populi christiani, ideoque

acclamatio in Concilio dogmatis Assumptionis B. M. V., nedum augebit pietatem credentium, sed magnam tenerrimamque consolationem universo copturbato praestabit.

Romae die 8. Januarii an. Dom. 1870.

† Antonius Episcopus Giennensis.

13. POSTULATUM
AD USURAM SPECTANS.

Beatissime Pater!

Cum in Sacrosancta Synodo Vaticana non ea tantum, quae ad Fidem tuendam, novosque errores refellendos, sed et quae ad Christianorum mores reformandos spectant, tractari oporteat; Tuae Beatitudini, quae Venerabilibus praefatae Synodi Patribus feliciter praeest, Hydruntinus Archiepiscopus humiliter ac reverenter nonnulla, quae ad morum reformationem pertinere ipsi videntur, exponenda breviter ducit.

Inter innumera vitia, quae in Christiana Republica invaluere, non ultimum locum obtinuisse videtur *Usura*, quamvis et Sacrarum Scripturarum testimoniis prohibita, et innumeris Legibus, Decretis, ac declarationibus fuerit ab Ecclesia semper interdicta. Quibus inhaerens Benedictus XIV. f. r., Apostolicis Litteris *Vix pervenit*, anno 1745 ad Italiae Episcopos datis, fusiori sermone Catholicam Doctrinam explanavit, docens 1. Usuram sive manifeste suam malitiam prodat, sive sub aliorum contractuum pallio suum virus involvat, in mutuo propriam sedem et locum habere. 2. Mutuum autem contractum esse, qui sui natura aequalitatem inter datum et acceptum expostulat, proindeque gratuiti contractus nomine gaudere, nihilque inde, ratione ipsius mutui, posse mutuantem quidem sperare. 3. Eos demum, qui contra egerint, in commutativam justitiam peccare, ideoque ad restitutionem teneri. Qua catholica doctrina unanimiter in scholis, ac universim a doctoribus constanter tradita, Pastores, ac Praedicatores Fidelium mentes, ac praesertim lucris inhiantium imbuere nunquam destiterunt, ut omnes ab Usurae vitio deterrerent; namque sicut usuris pessumdatur mutuatariorum familiaris substantia, sic et mutuantes animae suae detrimentum certo patiuntur, ac plerumque suorum etiam dispendium bonorum.

Cum autem occasione mutui, ut a laudato Summo Pontifice habetur, nonnulli possint extrinsecus tituli occurrere, et

contractum comitari, puta *lucrum cessans*, *damnum emergens*, *amittendae sortis periculum* etc.; tunc compensationis ratione sic dictante aliquid, ad justitiae normam, percipi posse supradicti Doctores et Pastores pariter Christianum Populum docentes, negare non sunt ausi, eo quod non vi mutui, sed alio titulo omnino extrinseco aliquid ultra sortem percipiatur.

At pluribus abhinc annis, neminem latet, nonnullos Catholicos Doctores novam quasi sententiam tenuisse, ac docuisse: „Posse, nempe, Civilem Principem ad Reipublicae bonum quam maxime tuendum, ac praecipue ad commercium promovendum, eminentis dominii jure, Mutuatarios taxare ad certum auctarium in Mutuantium commodum, seu praemium, ut dicunt," ita ut, ultra notos titulos extrinsecos lucri cessantis, damni emergentis, et periculi amittendae sortis, novum extrinsecum titulum, scilicet *Principis Legem*, admitti oporteat.

Interim Theologis hinc inde disputantibus de hoc nuper invecto titulo Sacrae Poenitentiariae proposita fuit quaestio: „num cogendus esset ad restitutionem poenitens, qui sine alio extrinseco titulo, occasione mutui auctarium scutorum quatuor in quovis centenario, vi Civilis Legis tantum, perceperat." — „Eminentissimus Poenitentiarius respondit *Dictum Poenitentem non esse inquietandum, dummodo in bona fide esset, et paratus stare judicio Apostolicae Sedis.*" Quae responsio procul dubio non ad normam absolutam et perpetuam exhibendam fuit prolata. Emus Poenitentiarius enim hinc probe sciens quot contra usuram habeantur Decreta et Declarationes, inde vero Catholicorum Doctorum (qui in rebus dubiis stant pro possessionis jure servando, donec evidens dominii titulus ipsi possessioni refragetur) sententiam non audens damnare, pro re nata tantum provisoriam quasi regulam dare voluit, donec a Romano Pontifice supremum latum fuerit judicium.

Posita vera praedicta responsione, quae recentiori Theologorum opinioni videtur favere, non pauci inde, sive sua malitia, sive culpabili inconsideratione, aut infirmitate, occasionem arripiunt aut peccandi, aut in suo peccato permanendi. Praetermisso enim quod aliqui judicant generatim quamlibet usurae quantitatem a Sacra Poenitentiaria tolerari (prout notorius quidam Usurarius, qui non auctarium scutorum quatuor tantum, juxta Legis taxam, sed ultra decem, pro centenario, exigebat, oratori Episcopo, eum ad poenitentiam hortanti, respondit, Summum Pontificem jam prohibuisse hac de re Poenitentes inquietari): generatim qui S. Poenitentiariae provisoriam regulam recte intelligunt, licet coram Confessariis affirment se paratos ad restitutionem, cum hoc ab Apostolica Sede decernatur: facto tamen tum ipsi, tum eorum haeredes, decursu

diuturni temporis, quamdiu Ecclesia, vel Summus Pontifex, judicium differat, restitutionis oneri implendo impares passim fiunt.

Quapropter videtur in hac caussa supremum judicium non posse diutius contineri, tum quia non agitur de Ritibus ad Divini Cultus essentiam non spectantibus (quo in casu, salva Fidei ac morum Doctrina, possunt Decreta ad longum etiam tempus differri), sed de commutativa justitia, cujus violatio, si extat, restitutionis onus inducit, cui quam citius debet satisfieri; tum quia tractu temporis, ut paulo ante est expositum, neque mutuantes, neque haeredes, si forte teneantur, restitutioni faciendae invenientur pares.

Quibus breviter expositis, Archiepiscopus orator Sacrosanctum Vaticanum Concilium, seu universam Ecclesiam congregatam humiliter appellans, super expositis supremum judicium expectat; cumque ipsa a Spiritu veritatis regatur, et columna ac firmamentum sit veritatis, nonnisi catholicae veritati congruum judicium expectandum.

Superest, ut Orator Archiepiscopus, genibus provolutus, Beatitudini Tuae pedes deosculando profiteatur, a Te tamquam Petra omnem Ecclesiae praerogativam derivare; cumque in Petri persona tibi olim a Christo dictum fuerit *pro te rogavi ut non deficiat Fides tua,* a Te praecipue supremum judicium sicut in exposita caussa, ita in omnibus, quae ad Fidem spectant, una cum universa Ecclesia praestoletur; et cum ipsa *falli nescium Te* agnoscens ac feliciter praedicans humiliter demum se subscribat.

Hydrunti die 28. Januarii 1870.

† Vincentius Andreas Archiep. Hydruntinus.

PARS SECUNDA.

DOCUMENTA, QUAE PERTINENT AD DISCIPLINAM.

SECTIO PRIMA.

SCHEMATA CONSTITUTIONUM,

QUAE PERTINENT AD DISCIPLINAM.

---

1. SCHEMA

DE EPISCOPIS.

CAPUT I.

De officio Episcoporum.

Quoniam quanta est Praepositorum dignitas, tantum ipsis incumbit officiorum onus, serio considerent qui a Spiritu Sancto positi sunt Episcopi regere Ecclesiam Dei, quas curarum et solicitudinis partes hujus quod gerunt formidandi muneris honor imponat. Episcopus enim concrediti sibi gregis utilitatem sic tueri debet, ut quaecumque agit ad eam referat, paratus etiam animam suam ponere pro ovibus suis, et sic omnia cum illo communia conjunctaque habere, ut ipsius salutem lucro sibi apponat, suamque existimet jacturam si quid adversi eidem eveniat, illa Apostoli Gentium dicens „Quis infirmatur et ego non infirmor? quis scandalizatur et ego non uror?“ [1]) Quamobrem omnes Episcopos et locorum Ordinarios, sacri hujus approbatione Concilii, in Domino monemus ac vehementer hortamur, ut divinum de se judicium agnoscentes, et memores gravissimae qua tenentur obligationis vigilent, in omnibus laborent, ac ministerium suum impleant. [2]) Praeprimis autem videant ne tot errorum undique jam exundans colluvies, et vitiorum quae nunc impune dominatur licentia christianam quam regunt plebem in pravum sensum adducat et corrumpat,

---

[1]) II. Corinth. XI. 29.
[2]) Conc. Trid. sess. VI. cap. 1. de Reform.

eandemque tum per se, quod praecipuum eorum munus est, tum per animarum rectores et verbi Dei praecones erudiendam diligenter curent in fidei scientia et morum disciplina, quo catholicae Ecclesiae doctrinam integram inviolatamque retineat, et divinae legis praecepta pie et sancte custodiat. Quos autem ex fidelibus sibi commissis a veritatis et mandatorum Dei semita aberrantes repererint, benigne ac patienter admoneant, obsecrent, increpent, nullumque praetermittant officium ut eorum animas Deo lucrifaciant, ovesque devias et perditas boni instar pastoris ad caulam Domini reducant; et si, spretis monitis, hortationibus, et justae etiam ac salutaris coercitionis remediis, in sua pravitate perstiterint, ne tamquam morbidae pecudes contagione noceant, prudenter efficaciterque, quoad ipsis datum est, provideant. Summo quoque studio et cura elaborent ut in Dei ministris, a quibus potissimum vivendi exempla petuntur, morum gravitas, vitae sanctitas, atque doctrina eluceat, ecclesiastica disciplina servetur, et ubi collapsa fuerit, restituatur. Ipsi autem Episcopi ita in omnibus se gerant, ut nullus pateat in eis reprehensioni locus, factique forma gregis ex animo cunctis fide, scientia, et sancta conversatione praeeant.

Dum autem debitum obsequium et obedientiam erga saeculi Potestates populis praedicant, Ecclesiae hujusque Apostolicae Sedis jura, et Episcopalis ministerii libertatem omnes unanimes atque idipsum invicem sentientes, collatis inter se consiliis, conjunctisque studiis et viribus, strenue tueantur, ut bonus communis causae exitus communi sit tutela ac defensione tutior. Nihil vero admittant quod dignitatis suae decorem et gravitatem dedeceat, et Tridentinae Synodi hac de re monita [1]) ob oculos habeant.

Principes demum et magistratus paterne requirimus, ut sacros Ecclesiae Antistites ac ministros, eorumque optimam operam valido suo patrocinio et praesidio tegere ac tueri studeant, quo ab omnibus ecclesiasticae auctoritati et dignitati debitus exhibeatur honor, observantia, et obedientia; scientes, Episcopos cum Ecclesiae causam, tum eorum regni agere et salutis, ut provinciarum suarum quieto jure potiantur, [2]) ab iisque pro pastorali munere illorum potissimum hominum improbitatem esse cohibendam, et coercendam audaciam, qui mentes pervertere, moresque corrumpere nefarie commoliuntur.

---

[1]) Sess. XXV. cap. 17. de Reform.
[2]) S. Leo M. Ep. 43 alias 34. ad Theodosium Augustum.

CAPUT II.

De Residentia.

Sed quia suo munere, uti par est, fungi Episcopi nequeunt nisi in Dioecesi commorentur, residentiae legem in sacris Canonibus saepissime inculcatam eos servare necesse est. Itaque omnes patriarchalibus, primatialibus, metropolitanis et cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocumque nomine et titulo, praefecti, etiam si S. R. E. Cardinales sint, meminerint se obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Dioecesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur. Si quis vero, praeterquam causa visitationis sacrorum Liminum, vel Synodorum Provincialium, ultra duos, vel ad summum tres intra annum menses, sive continuos, sive interruptos, absque expressa hujus Sedis Apostolicae, vel sui Patriarchae quoad Episcopos ritus orientalis, licentia, etiam ex causis alias a jure admissis, a sua Dioecesi abfuerit, sacro hoc approbante Concilio, volumus et declaramus, eum, praeter mortalis peccati reatum, quem incurrit, pro rata temporis absentiae reditus mensae Episcopalis, vel qui in ejus locum suffecti fuerint, suos non facere, nec tuta conscientia, alia etiam declaratione non secuta, illos sibi detinere posse; sed teneri illos fabricae Ecclesiae, aut pauperibus loci erogare, ipsoque cessante, per superiorem ecclesiasticum ad id esse cogendum, prohibita quacumque conventione vel compositione, quibuscumque etiam privilegiis, cuicumque collegio aut fabricae concessis, non obstantibus. Quodsi tribus mensibus ultra concessos absens fuerit, Metropolitanus Suffraganeum Episcopum absentem, Metropolitanum vero absentem Suffraganeus Episcopus antiquior residens huic Sedi Apostolicae denunciare teneatur, quae in ipsos absentes, prout cujusque major aut minor culpa exegerit, animadvertat, atque etiam Ecclesiis ipsis de utilioribus personis provideat, sicut in Domino noverit salubriter expedire. Nostris quoque et hujus Apostolicae Sedis Nuntiis sive Delegatis hoc idem demandamus et injungimus, ubi intra ipsorum Nuntiaturae sive Delegationis fines aliquis Episcopus, seu Superior Praelatus existat qui canonicas leges hac in parte violare dignoscatur. [1]) In iis vero quibus per praesens Decretum derogatum non est, ea quae per sacrosanctam Tridentinam Synodum,[2]) et Praedecessores Nostros, ac praesertim fel. rec. Urbanum VIII [3]) et Benedictum XIV,[4])

---

[1]) Bened. XIV. Const. *Ad universae* 3. Sept. 1746.
[2]) Sess. XXIII. cap. 1 de Ref.
[3]) Const. *Sancta Synodus* 12. Dec. 1634.
[4]) Cit. Const. *Ad universae*.

de Praelatorum residentia sancita fuerunt, rata firmaque esse decernimus atque declaramus.

CAPUT III.

De visitatione Dioecesis.

Nec ad rectum Dioecesis regimen minus necessaria est illius visitatio, qua sacri Pastores sanam et orthodoxam doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, ac populum ad religionem, pacem, et innocentiam accendere ex officio tenentur.[1] Nam nisi singula Dioecesis loca frequenter invisant, et sua vigilantia eorum qui secum laborant industriam alant, omniaque per se videant, ubique audiant, ubique explorent, multa profecto ignorabunt, vel serius, quam oporteat, intelligent, nec malis innascentibus promptam et efficacem poterunt medicinam adhibere.[2] Quapropter, sacro approbante Concilio, districte monemus Patriarchas, Primates, Metropolitanos, et Episcopos, ut per se ipsos, vel si forsitan fuerint impediti, per Vicarium Generalem, aut alios ecclesiasticos viros a se approbatos, quolibet triennio Dioecesim suam pastorali visitatione perlustrent. Sicubi vero universa Dioecesis propter ejus latitudinem triennii spatio visitari non possit, statuimus, ut major ejus pars infra hoc spatium perlustretur, ita tamen ut totius Dioecesis visitatio quolibet saltem quinquennio omnino compleatur.

Insuper ad hanc legem teneri et obstringi edicimus ac declaramus etiam Praelatos inferiores jurisdictionem quasi Episcopalem cum separato territorio obtinentes; et Episcopo viciniori nullum visitandae eorundem Praelatorum Dioecesis jus relinqui decernimus, quin ulla queat ei consuetudo suffragari. Quod si inferior Praelatus visitationem obire neglexerit, ad eundem viciniorem Episcopum pertinebit id ad notitiam hujus S. Sedis perferre, quae quid consilii capiendum sit in Domino constituet.

In visitatione obeunda Episcopi animo recolentes certissimam illam sententiam formidinis ac terroris plenam, quod supremus Pastor creditarum ovium sanguinem ab ipsis requiret, et excusationem non accipiet, si lupus comedit oves, et pastor nescit, operi, quod instat, agendo unice intenti sint, adeoque omnibus aliis rebus sepositis, singula loca ac personas visitationi obnoxias non festinanter et cursim, sed debita diligentia

---

[1]) Conc. Trid. Sess. 24. cap. 3. de Ref.
[2]) Ben. XIV. Const. *Ubi primum* 3. Decem. 1740.

inspiciant et explorent. Caveant tamen ne ulli graves onerosive sint, et ab immodicis superfluisque sumptibus abstineant, memores sanctionum quae tam in Concilio Lugdunensi, [1]) quam in Concilio Tridentino [2]) hac super re constitutae sunt

Quoniam vero legum, etsi optimarum, utilitas nulla est, nisi reipsa accurate impleantur, sacro eodem approbante Concilio, memoratos Antistites hortamur, ut infra annum a peracta visitatione eo modo quem magis opportunum exstimaverint, ac deputatis etiam, quatenus opus fuerit, ecclesiasticis viris qui in singula loca se conferant, quin tamen personae visitationi obnoxiae ullum patiantur dispendium, certiores fiant, an ea quae decreta provisaque sunt executioni plene demandata fuerint.

CAPUT IV.

De obligatione visitandi Sacra Limina Apostolorum et exhibendi relationem status Dioecesis.

Oportet ut sacri Pastores cum eo, cui confirmandi fratres, et universum catholicum gregem pascendi cura a Christo Domino demandata est, firmiori usque vinculo sese conjungant, et ita catholica Ecclesia ex membris quantocumque dissitis per mutuam in uno capite consociationem unum corpus efficiat. Jam vero ad hanc rem assequendam nihil magis conducit, quam si iidem Pastores juxta perantiquam Ecclesiae disciplinam et sacrorum Canonum praescripta Beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli sepulcra veneraturi ad almam Urbem accedant seseque Romano Pontifici sistentes de rebus personisque suae Dioecesis relationem exhibeant. Itaque, sacro approbante Concilio, Constitutiones Apostolicas hac de re editas [3]) innovantes, injungimus singulis Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, ac Praelatis inferioribus jurisdictionem quasi Episcopalem et territorium separatum obtinentibus, ut juxta spatia temporum in iisdem Constitutionibus praefinita obligationem adeundi per se, vel per certum nuncium Apostolorum limina, et exhibendi relationem de statu suarum Ecclesiarum religiose adimplere non praetermittant. Quicumque vero ex praedictis, nullo legitimo impedimento detentus, terminum sibi praestitutum praeterlabi sinat, quin huic obligationi satisfecerit, suspensioni ab usu Pontificalium, et crescente contumacia, aliis etiam poenis ab Apostolica Sede infligendis subjiciatur. Volumus autem, ut primus hujus-

---

[1]) Conc. Lugd. II. cap. 24. [2]) Loc. cit.

[3]) Sixtus V. Const. *Romanus Pontifex* 20. Dec. 1585. Bened. XIV Const. *Quod sancta* 23. Nov. 1740.

modi terminus non amplius a die quo memoratae Constitutiones editae sunt, sed a die promulgationis hujus Decreti pro omnibus indiscriminatim Praelatis incipiat, et in perpetuum deinceps computetur.

Et ne praefatae relationes abundent in superfluis, ac deficiant in necessariis, mandamus insuper iisdem Praelatis, ut in ipsis exarandis Instructioni fel. rec. Benedicti XIII Decessoris Nostri in Concilio Romano anni 1725 editae accurate sese conforment, quam, ut omnibus quae supervenerunt necessitatibus adamussim provisum sit, auctoritate Nostra opportune reformatam in usum eorundem Praesulum evulgandam curabimus.

CAPUT V.

De Conciliis Provincialibus.

Saluberrimo Ecclesiae instituto sancitum est, ut Metropolitani cum suis Suffraganeis statis temporibus Concilium provinciale celebrare teneantur pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ecclesiasticae rei necessitatibus reparandis. [1]) Hanc disciplinam, siquando intermissa erat, non destiterunt Romani Pontifices, Decessores nostri,[2]) nec non Conciliorum Patres [3]) pro data opportunitate innovare, et vehementer inculcare; et Nos ipsi ab initio Pontificatus Nostri ad haec usque tempora nihil potius habuimus, quam ut variarum nationum Antistitibus, prout occasio ferebat, eamdem impense commendaremus. Itaque recolentes animo uberem fructum ex redintegratis alicubi hujusmodi coetibus collectum, hac oecumenica Synodo approbante, statuimus ac mandamus, ut Metropolitani ad normam sacrorum Canonum ac potissimum Tridentini Concilii, per seipsos, seu illis legitime impeditis, vel Sede Archiepiscopali vacante, Coepiscopus antiquior intra biennium a fine praesentis Concilii, ac deinde quolibet saltem quinquennio Synodum in sua provincia cogere non omittat, nisi ob justas et canonicas causas a S. Sede ejusdem termini prorogationem obtinuerit.

Ad Synodum omnes Provinciae Episcopi, et qui de jure vel consuetudine interesse debent, omnino conveniant, iis tantummodo exceptis qui legitimo impedimento ab ejusdem Synodi Patribus recognoscendo detineantur.

---

[1]) Conc. Nic. I. can. 5. Conc. Chalced. can. 19. Conc. Nic. II. can. 6.

[2]) Sixtus V. Const. *Immensa* 22. Januar 1588. Bened. XIII. in Conc. Rom. anni 1725. Tit. 2. Cap. I. et seq. Bened. XIV. Const. *Quamvis* 26. Aug. 1741 et Const. *Singularis* 1. Sept. ejusdem anni.

[3]) Conc. Later. IV. cap. 16. Conc. Later. V. Sess. 10. Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 2. de Ref.

Episcopi autem, qui nulli Archiepiscopo subjiciuntur, et Abbates vere nullius, item Archiepiscopi Suffraganeis carentes aliquem vicinum Metropolitanum, nisi jam forte elegerint, semel eligant, in cujus Synodo provinciali cum aliis intersint, et quae ibi ordinata fuerint observent ac observari faciant.

Ut vero quae sancita sunt in usum facilius deducantur, et mala quae interim innata fuerint innotescant, veteri Ecclesiae consuetudini inhaerentes, Decretum Concilii Lateranensis IV.[1]) confirmamus et innovamus, quo idoneae de Clero personae, gravitate, prudentia, pietate, ac zelo secundum Deum praestantes in singulis Dioecesibus deputari jubentur, quae simpliciter ac de plano absque ulla jurisdictione sollicite ac circumspecte explorent, an praecedentis Concilii provincialis Decreta religiose serventur, ac simul investigent quae correctione, vel reformatione indigent, eaque fideliter Metropolitanis, et Suffraganeis, aliisque in Concilio subsequenti significent, ut super his provida deliberatione consulatur.

Insuper juxta Decretum Patrum Tridentinorum[2]) mandamus Episcopis omnibus, et aliis, qui de jure vel consuetudine in Synodo provinciali interesse debent, atque enixe praecipimus, ut in ipsa prima Synodo provinciali post exitum praesentis oecumenici Concilii habenda, omnia et singula in eodem definita ac statuta palam recipiant, necnon veram obedientiam Romano Pontifici spondeant et profiteantur, unaque pariter omnes haereses, ac praesertim in hoc Vaticano Concilio damnatas, publice detestentur et anathematizent. Idemque in posterum quicunque in Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos promovendi, in prima Synodo provinciali, in qua ipsi interfuerint, omnino observent.

Postquam autem provincialia Concilia dimissa fuerint, Metropolitani omnia eorum acta et decreta S. Sedi transmittant, neque eadem ante publicent, quam de more expensa ac recognita receperint.

CAPUT VI.

De Synodis Dioecesanis.

Veteri pariter sacrorum Canonum sanctione sapienter provisum est, ut Episcopi in suo quisque Dioecesi Synodum indicant.[3]) Ibi enim oportet Concilii provincialis statuta publi-

[1]) Cap. Sicut olim 25. De Accusat.
[2]) Sess. 25. Cap. 2. de Ref.
[3]) Conc. Antioch. anni 341. cap. 20. Conc. Lateran. IV. cap. 6.

care,[1]) Examinatores approbandos proponere,[2]) et Judices Synodales juxta ecclesiasticas regulas designare.[3]). Expedit insuper eorum quae alias sancita fuerint quandoque executionem urgere, novas item constitutiones edere, quibus antiquae leges communiantur, novisque obortis malis nova remedia praescribantur, ac denique ea omnia quae ad rectius Dioecesis regimen pertinent, opportuno providere. Quapropter, sacro approbante Concilio, canonicas sanctiones, ac nominatim Concilii Tridentini Decretum de hujusmodi coetibus celebrandis[4]) fideliter ab omnibus servari praecipimus.

Quo tamen commodius huic obligationi satisfieri possit, quolibet saltem triennio dioecesanam Synodum habendam statuimus. Si vero legitimum impedimentum forsan obstiterit, ab Apostolica Sede congrua provisio postuletur.

CAPUT VII.

De Vicario Generali.

Magni momenti in universae Dioecesis negotiis expediendis est Vicarii generalis officium. Quod quidem ut Episcopis vere usui esse possit et auxilio, sacro approbante Concilio, volumus ac decernimus, ut illud ecclesiasticis viris deferatur non minoribus annis triginta, et in jure saltem canonico doctoribus, vel alias quantum fieri poterit idoneis; qui praeterea probitate, prudentia, ac rerum gerendarum peritia commendentur. Expedit etiam ut sacerdotali sint charactere insigniti, quo apud eos quibus vicaria procuratione praesunt cum virtutis ac doctrinae opinione, tum gradus auctoritate valeant. Et quia necesse est ut a fori interni ministerio omnis pellatur suspicio quod ad externi fori possit adhiberi negotia, nec permittendum sit ut a suo munere quispiam abducatur, in quod incumbere totus debet, propterea Episcopi canonicis poenitentiariis, parochis, ceterisque curam animarum habentibus, itemque, obtrectationis vitandae causa, suis fratribus aut nepotibus Vicarii generalis munus non committant. Quibus vero in Dioecesibus plures Vicarii generales deputari solent, hi numerum duorum vel trium non excedant, omnesque in solidum seu aeque principaliter constituantur, ne forte quae ab eorum singulis provisa

---

[1]) Conc. Lateran. IV. l. c.
[2]) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 18. de Ref.
[3]) Cap. Statutum De Rescript. in 6. Conc. Trid. Sess. 25. Cap. 10. de Ref. Ben. XIV. Const. *Quamvis* 26. Aug. 1741.
[4]) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 2. de Ref.

gestaque fuerint, viribus careant. Vicariorum autem generalium, quos honorarios vocant, nomen et usus prorsus aboleatur privilegiis et quacumque consuetudine etiam immemorabili non obstantibus.

2. SCHEMA[1]

DE PARVO CATECHISMO.

Pia Mater Ecclesia Sponsi sui Salvatoris nostri Jesu Christi monitis atque exemplis edocta praecipuam semper curam ac sollicitudinem erga pueros impendit, ut lacte coelestis doctrinae enutriti ad omnem pietatis rationem mature informarentur. Hinc sacrosancta Tridentina Synodus nedum Episcopis mandavit, ut pueros fidei rudimenta, et obedientiam erga Deum ac parentes diligenter doceri curarent;[2] sed illud praeterea sibi faciendum censuit, ut certam aliquam formulam et rationem traderet christiani populi ab ipsis fidei rudimentis instituendi, quam in omnibus Ecclesiis illi sequerentur, quibus legitimi pastoris et doctoris munus esset obeundum.[3] Id vero cum ab ipsa sancta Synodo perfici non potuerit, ex ejusdem voto[4] Apostolica haec Sedes ad optatum exitum, Catechismo ad Parochos in lucem edito, feliciter perduxit. Neque hic constitit: sed Tridentinorum Patrum menti cumulatius respondere cupiens, ut unus deinceps idemque modus in docendo et discendo christianam doctrinam ab omnibus teneretur, parvum quoque pro pueris erudiendis Catechismum, a Ven. Card. Bellarmino ipsa jubente exaratum, approbavit, omnibusque Ordinariis, Parochis, aliisque ad quos spectabat enixe commendavit.[5]

Cum autem hac nostra aetate ex ingenti in diversis Provinciis atque etiam Dioecesibus parvorum Catechismorum numero non levia oriri incommoda compertum sit; idcirco Nos, sacro approbante Concilio, ob oculos habitis imprimis praedicto Ven. Card. Bellarmini Catechismo, tum etiam aliis in christiano populo magis pervulgatis Catechismis, novum auctoritate Nostra latina lingua elucubrandum curabimus, quo omnes utantur, sublata in posterum parvorum Catechismorum varietate.

---

[1]) Hunc in modum Schema, quod Concilii Patribus distributum erat, a deputatione pro disciplina reformatum et a Concilii Patribus provisoria votatione approbatum erat.

[2]) Sess. XXIV. Cap. IV. *de Reform.*

[3]) Sess. XXIV. Cap. VII. *De Reform.* Catech. Rom. *in praef.*

[4]) Sess. XXV. Decret. *de Indice librorum, Catechismo etc.*

[5]) Clem. VIII. Brev. *Pastoralis* 15. Julii 1598; Bened. XIV. Constit. *Etsi minime* 7. Febr. 1742.

Operam vero dabunt in singulis Provinciis Patriarchae vel Archiepiscopi, collatis prius consiliis cum suis Suffraganeis, deinde vero cum aliis Archiepiscopis ejusdem regionis et idiomatis, ut illius textus in vulgarem linguam fideliter vertatur.

Integrum autem erit Episcopis, ejusdem parvi Catechismi usu pro prima fidelium institutione absque ullis additamentis jugiter retento, ad eos uberius excolendos et contra errores, qui in suis forsan regionibus grassantur, praemuniendos, ampliores catecheticas conficere institutiones; quas tamen si una cum textu praedicti Catechismi, et non seorsim, edere voluerint, id ita fieri debere mandamus, ut textus ipse a Nobis praescriptus ab hujusmodi institutionibus patenter distinctus appareat.

Denique cum parum sit Catechismi formulas memoriae a fidelibus mandari nisi ad illas pro cujusque captu intelligendas viva voce adducantur, et hac ipsa in re maxime referat, ut una sit tradendae fidei ad omniaque pietatis officia populum christianum erudiendi communis regula atque praescriptio;[1]) hinc omnibus quibus hoc docendi munus impositum est usum memorati Catechismi ad Parochos uti saepe alias Praedecessores Nostri, ita Nos denuo summopere commendamus.

3. SCHEMA

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

CAPUT I.

Praecipua semper Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum et Conciliorum generalium cura fuit, ut clerici, in sortem Domini vocati, in omnibus seipsos praeberent exemplum bonorum operum. Gravissimo hoc Apostolatus Nostri debito constricti, clericos omnes in Domino monemus, ut ab omnibus declinantes, quae eos dedecent qui divinis sunt ministeriis mancipati, attendentes vero lectioni, exhortationi, doctrinae, forma sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, quo cunctis afferant venerationem, et populum ad christianae Religionis institutionem fingant atque inflamment. Quapropter, sacro hoc approbante Concilio, canonicas de vita

[1]) Catech. Rom. *in Praef.*

et honestate clericorum sanctiones, et saluberrima praesertim Patrum Tridentinorum Decreta[1]) servari districte jubemus.

Mundanis desideriis et deliciis se detineri clerici non sinant, sed serio cogitantes verum altaris ministrum Deo non sibi natum esse,[2]) nec culpa vacare si, messis multa cum sit, laborare detrectent in agro Domini, omnes proprii muneris partes diligentissime impleant. Quum autem forma vestium soleat esse morum indicium,[3]) habitum deferant qui neque luxu neque squalore oculos intuentium offendat, sed juxta Episcopi ordinationem proprio clericorum ordini ac dignitati congruat. Tonsuram quoque clericalem gerant, et capillis simplicem cultum adhibeant. Profana et inania spectacula sibi prohibita esse sciant, ne forte aures et oculi sacris officiis addicti ludicris actionibus sermonibusque distracti contaminentur. Ab intemperantiae vitio, quod carnalem animam reddit et excaecat,[4]) abhorrentes sobrie vivant in hoc saeculo, et sedulo evitare studeant quae a radice superbiae, cupiditatis, et avaritiae procedere dignoscuntur. Diligenter etiam caveant ne bona ecclesiastica, quae res Dei sunt et patrimonium Christi ac pauperum, cum propriis confundantur, eorumve fructus ad consanguineos vel haeredes transeant.[5]) Quae autem de saecularibus curis, maxime vero de vetita clericis negotiatione, per generalia Concilia vel Praedecessores Nostros, praesertim fel. rec. Benedictum XIV.[6]) et Clementem XIII.[7]) alias sancita fuerunt, religiose observent.

CAPUT II.

Clerici, cujusvis ritus et nationis, beneficiati, vel sacris initiati ordinibus, quamvis nullum ecclesiasticum beneficium fuerint assecuti,[8]) meminerint se ad divinum officium integrum quotidie sive in Ecclesia sive privatim recitandum sub gravis culpae reatu teneri. Id reverenter, distincte, ac devote faciant, quo et sibi, et christiano populo coelestis gratiae dona a Deo impetrent, et in divinis laudibus persolvendis angelicis choris digne consocientur.

---

[1]) Sess. XIV. Decr. de Reform. Prooem et cap. 6. et Sess. XXII. cap. 1. de Reform.
[2]) S. Ambros. in Ps. 118.
[3]) S. Bernard *De consider.* lib. III. cap. 11.
[4]) S. Joan. Chrys. Hom. 45 al. 44 in Joan.
[5]) Conc. Trid. sess. XXV. cap. 1. de Reform.
[6]) Const. *Apostolicae servitutis* 25. Feb. 1741.
[7]) Const. *Cum primum* 17. Sept. 1759.
[8]) Bened. XIV. Const. *Eo quamvis* 4. Maji 1745.

Quum munus docendi quae Religionem spectant nonnisi Episcopis a Christo Domino in Apostolorum persona concreditum fuerit, facultatem clerici non assumant sive scientias ecclesiasticas, sive disciplinam catecheticam, sive demum quamlibet aliam Religionis doctrinam tradendi in quibuscumque scholis vel Institutis ab Apostolica Sede immediate non dependentibus, nisi de mandato, vel consensu expresso sui Episcopi: in quocumque autem hujusmodi docendi officio vel gradu sint ipsi constituti, ab Episcopali auctoritate se numquam eximi noverint. — Et quoniam in medio corrupti saeculi facile evenit, ut de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescant,[1]) ad ecclesiastici vero ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam ac fovendam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducat; omni studio curent Episcopi ut clerici, praesertim parochi et confessarii, singulis saltem trienniis vel quadrienniis certo dierum spatio in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, ecclesiasticum spiritum renovare possint. Ita tamen pias ejusmodi secessiones prudenti suo arbitrio Episcopi distribuant, ut cultus divinus et spiritualis fidelium necessitas nullum inde detrimentum patiantur.

Ne vero ii qui per senium aut infirmitatem viribus fracti sacri ministerii laboribus sustinendis impares evaserunt, egestate vel aerumnis premantur, satagant Episcopi in singulis Dioecesibus, vel saltem Provinciis ecclesiasticis, clericorum hospitium erigere, vel alia ratione providere, ut qui Ecclesiae fideliter servierunt, honestam ab ea dignamque sustentationem inveniant.

CAPUT III.

Haec igitur aliaque honestam clericorum vitam spectantia indefessae Venerabilium Fratrum Nostrorum Episcoporum vigilantiae commendantes, eosdem in Domino obsecramus, ut ea qua par est severitate et charitate plenam illam exerceant potestatem, a generali quoque Tridentino Concilio[2]) et Praedecessoribus Nostris ipsis attributam, quam et Nos inviolatam manere volumus et declaramus.

Quodsi clericus, propriae immemor dignitatis, in impudicitiae sordibus immundoque concubinatu versetur, vel mulierem,

---

[1]) S. Leo M. Serm. 4 de Quadrag.

[2]) Sess. VI. cap. 3. Sess. XIII. cap. 1. Sess. XIV. cap. I. 4. et 6. Sess. XXII. cap. 1. de Reform.

de qua possit haberi suspicio, in domo vel extra detinere aut ullam cum ea consuetudinem habere audeat, poenis a sacris Canonibus, et generali praesertim Tridentina Synodo[1]) impositis, etiam sine strepitu et figura judicii, et sola facti veritate inspecta, contra eum procedatur. Ne tamen bono clericorum nomini macula nimis facile aspergatur, ac praecipitis et immaturi arbitrii argui umquam possit Episcopus, atque ut in casu recursus pateat justitia lati judicii; idcirco, sacro approbante Concilio, mandamus, ut extrajudiciales probationes ab Episcopo collectae scripto consignentur documento in Curia Episcopali diligenter et caute asservando; simulque volumus, ut praescriptae a Concilio Tridentino monitiones non omittantur, quas etiam extrajudiciali forma, sive in scriptis sive coram testibus, ita facere liceat, ut tamen de iis documentum in Curia extet.

---

4. SCHEMA

DE SEDE EPISCOPALI VACANTE.

CAPUT I.

Ecclesiarum vacantium regimini pro Apostolica nostra sollicitudine omni meliori modo prospicere cupientes, sacro approbante Concilio, volumus, ut quae in generali Tridentina Synodo[2]) decreta ac sancita fuerunt diligenter observentur. Unus sit Capituli Vicarius qui saltem in jure canonico sit doctor vel alias quantum fieri poterit idoneus; in quo morum integritas, pietas, sana doctrina, et a qualibet nota, praesertim ecclesiasticae censurae immunitas cum scientiae ac prudentiae laude conspirent. Canonicis autem sanctionibus inhaerentes, omnino prohibemus ne ad Vicarii Capitularis munus deputare liceat qui vacantis Sedis fuerit Patriarcha, Archiepiscopus, vel Episcopus electus, nominatus, seu praesentatus; et si ipse Vicarius certum habuerit nuncium de sua electione, nominatione, seu praesentatione ad praedictam vacantem Ecclesiam, eo ipso ab officio cesset, et Capitulum ad novi Vicarii deputationem deveniat.

Quodsi praescriptae conditiones posthabitae fuerint, minori Capitularium numero, vel alteri cujus interest, ad Metro-

---

[1]) Sess. XXV. cap. 6 et 14 de Reform.
[2]) Sess. XXIV. cap. 16 de Ref.

politanum; si vero Ecclesia Metropolitana vacans fuerit, vel de ipso Capitulo Metropolitano agatur, ad antiquiorem Provinciae Episcopum in devolutivo provocare liceat; ad propinquiorem vero Episcopum recursus instituetur, si Ecclesia exempta fuerit. Et is ad quem provocatum erit, agnita recursus justitia, Vicarium pro ea vice deputabit.

In Vicario autem constituendo nullam sibi jurisdictionis partem Capitulum retinere quomodocumque possit. Legitime electus e reditibus mensae vacantis, ubi aliter provisum non fuerit, partem congruam percipiat; diebus et horis quibus ipse ratione sui muneris impeditur, a chori servitio sit exemptus, et distributionibus gaudeat, iis tamen amissis quae inter praesentes dicuntur.

Sede vero per Episcopi captivitatem vel relegationem aut exilium impedita, illius regimen penes Episcopi Vicarium, vel quemlibet alium virum ecclesiasticum ab Episcopo delegatum remaneat, donec aliter ab hac Sede Apostolica provideatur. Iis autem deficientibus vel impeditis, Capitulares Vicarium constituent, totiusque rei eventum quamprimum ad ejusdem S. Sedis notitiam deferent, recepturi humiliter, et efficaciter impleturi quod per ipsam contigerit ordinari.

CAPUT II.

Cum experientia doceat, quosdam Vicarii munus adeptos ambitiosa sollicitudine multa properanter disponere, futuri Episcopi consilia ac regimen praeoccupantes, quandoque etiam hujus Apostolicae Sedis jura invadentes, Nos, sacro approbante Concilio, Vicarii Capitularis facultates intra sacrorum Canonum limites omnino contineri jubemus. Quapropter invectam quibusdam in locis consuetudinem ut liberae collationis beneficia a Vicario conferantur, tolerandam haud esse declaramus. Quod si beneficia hujusmodi animarum curam adnexam habeant, Vicarii erit, deputato statim Oeconomo, concursum indicere, et illius acta ad hanc Apostolicam Sedem transmittere, ad quam collatio seu provisio pertinet, nisi aliter ab eadem pro locorum, temporum, ac personarum adjunctis provisum fuerit.

In dimissoriis ad ordines a Vicario post annum vacationis concedendis, Capituli semper consensus per secreta suffragia requiratur et accedat: iis vero qui a proprio Episcopo rejecti fuerint numquam concedantur.

Alienum clericum clero Dioecesis adscribere, pel proprium ex eo dimittere Vicarius nequeat, nisi ab hac Sede Apostolica facultatem obtinuerit.

CAPUT III.

Ne quibusdam in locis, in regionibus praesertim ab Europa longe dissitis, incertum ac neglectum animarum regimen maneat, quia, e vivis sublato Antistite vel Vicario Apostolico, propter peculiares Dioecesis vel Vicariatus Apostolici circumstantias non est qui gregem Christi gubernet, Praedecessorum Nostrorum, praesertim fel. me. Benedicti XIV[1]) vestigiis inhaerentes, sacro hoc approbante Concilio, haec edicimus ac declaramus.

Attendentes imprimis in remotis ejusmodi regionibus aliquos Archiepiscopos et Episcopos locorum Ordinarios et residentiales Capitulum Canonicorum habere, alios vero eo esse destitutos, mandamus ut, eveniente cujuslibet Antistitis obitu, statim procedatur ad electionem Vicarii Capitularis juxta morem, usum, et consuetudinem hactenus legitime servatam; nimirum ubi Capitulum existit, vel a Canonicis duntaxat, si ita in more jam sit positum, vel a Canonicis una cum aliis ecclesiasticis viris, quos in casibus hujusmodi semper intervenisse et suffragium suum in ea electione tulisse constat. Ubi autem Capitulum Canonicorum non habetur, ibi parochi, sive soli, sive cum aliis ecclesiasticis viris juxta modum itidem, usum, et consuetudinem de praeterito servatam, ad Vicarii Capitularis electionem habendam accedant. In ceteris omnibus autem servari mandamus Tridentini Concilii de Vicarii Capitularis electione constitutiones.

In iis vero locis, in quibus Antistites Ordinarii eorundem locorum residentiales neque Capitulum Canonicorum, neque parochos in suis civitatibus et Dioecesibus habent, sed duntaxat sacerdotes aliquot et missionarios per terras et oppida dispersos, ita ut, Antistite decedente, una simul convenire haud valeant, Vicarius generalis jam a defuncto Antistite constitutus, licet Doctoris gradu in jure canonico auctus non sit, ipso facto intelligatur et habeatur tamquam Vicarius Capitularis cum omnibus facultatibus de jure ad ejusmodi munus spectantibus, illudque exerceat quousque novus Antistes ab Apostolica hac Sede designatus illuc advenerit, ac susceperit, vel aliter ab eadem fuerit ordinatum.

Omnibus autem Vicariis Apostolicis, sive titulo et dignitate Episcopali praeditis, sive sacerdotali tantum charactere insignitis, sed neque coadjutorem cum futura successione neque Vicarium generalem habentibus, praecipimus, ut unusquisque

---

[1]) Breve Benedicti XIV. *Ex sublimi* 26. Januarii 1753, et *Quam ex sublimi* 8. Augusti 1755.

eorum teneatur deputare Vicarium ex clero sive saeculari sive regulari, habilem tamen atque idoneum. Is vero post Vicarii Apostolici obitum tamquam hujus S. Sedis delegatus assumet regimen Vicariatus, et in ejusmodi munere permanebit, donec novus Apostolicus Vicarius ab eadem S. Sede designatus ipsius Vicariatus possessionem et regimen adierit, vel usque ad quamcumque aliam ab ipsa ineundam ordinationem; idemque pariter alterum statim deputabit ecclesiasticum virum, qui ei, si forte interim obierit, in munere succedere debeat. Volumus autem pro-Vicarios hujusmodi, cum Vicariatus regimen susceperint, non solum iis omnibus et singulis uti posse facultatibus, quae cujusvis Ecclesiae Cathedralis Vicario Capitulari de jure competere dignoscuntur, verum etiam iisdem frui facultatibus, quibus defunctus Vicarius Apostolicus pollebat, iis dumtaxat exceptis quae requirunt characterem Episcopalem, vel non sine Sacrorum Oleorum usu exercentur; eidem tamen potestatem facimus ut, quandocumque necessitas urgeat, possit consecrare calices, patenas, et altaria portatilia, cum Sacris Oleis ab Episcopo benedictis.

In Ecclesiis ritus Orientalis, iis exceptis quae habent Capitulum legitime institutum quod jure pollet eligendi Vicarium Capitularem, defuncti Episcopi Vicarius regimen vacantis Dioecesis eo ipso assumat, donec certiore quamprimum facto Metropolitano vel Patriarcha ejusdem vacantis Ecclesiae gubernio rite consulatur usque ad novi Episcopi electionem.

5. SCHEMA

DE ONERIBUS MISSAE.

Etsi fel. rec. Urbanus VIII. et Innocentius XII. Praedecessores Nostri plura Decreta de celebratione Missarum religiose curanda ediderint,[1] tamen lamentari cogimur, optima ab iisdem suscepta consilia ad speratum exitum generatim haud fuisse perducta, atque idcirco pia Missarum onera, magno cum divini cultus detrimento, suffragiorum imminutione, et fidelium scandalo, non ea qua par est fide ac diligentia ubique adimpleri. Cum igitur quae charitati justitiaeque consentanea sunt inviolata tueri et custodire maximae Nobis curae esse debeat, Episcopis, locorum Ordinariis, aliisque Praelatis, etiam Regu-

[1] Vid. Const. Urbani VIII. *Cum saepe* 21. Junii 1625. et Innocentii XII. *Nuper* 23. Decembris 1697.

laribus, sacro hoc approbante Concilio, imprimis mandamus, ut Decreta eadem, et singula in eis contenta, quae rata firmaque manere debere declaramus, a personis et in Ecclesiis sibi subjectis omnino servari faciant. Et quo aptius imposito sibi hoc munere defungi valeant, decernimus, ut de simplicibus Beneficiis, Capellaniis, Legatis piis, Missarumque oneribus iisdem inhaerentibus, fundis assignatis, reditibus, administratione descriptionem, sicubi deest, diligenter conficiendam curent, quae ordine disposita in Curiae tabulario adservetur; eosdemque praeterea hortamur, ut idoneos aliquos ecclesiasticos viros sibi adsciscant, quorum opera praefatorum Decretorum executioni jugiter provideant.

Quod si comperiatur in aliqua Ecclesia tam magnum Missarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impositum esse, ut illis pro singulis diebus a testatoribus praescriptis nequeat satisfieri, vel eleemosynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem esse, ut non facile inveniatur qui velit huic se muneri subjicere, permittimus ut Episcopi in prima Synodo dioecesana post hanc oecumenicam habenda, itemque Abbates et Generales Ordinum in suis Capitulis generalibus proxime pariter post eandem oecumenicam Synodum celebrandis possint iisdem uti facultatibus quas Tridentinum Concilium [1] in similibus rerum adjunctis eis attribuit: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Et cum maxime intersit ut non recipiantur eleemosynae manuales et quotidianae pro missis quae intra praescriptum aut modicum tempus nequeant celebrari, propterea Episcopi aliique Praelati, juxta ordinationem hac de re in iisdem Decretis expressam, sedulo advigilent ut Superiores, Rectores, et Ministri Ecclesiarum praeter librum in quo onera perpetua et temporaria describuntur, alterum librum in sacrario retineant, in quo Missas manuales, earumque eleemosynas et implementum accurate ac distincte adnotare teneantur; et ab iisdem de praedictis omnibus rationem quolibet anno exigere non omittant.

Sed quia non solum de fideli onerum Missarum implemento solliciti esse debemus, verum in illud etiam studia Nostra convertenda sunt, ut quidquid sacrosancti sacrificii quod in Missa offertur dignitatem dedeceat e medio tollatur, hinc abusum quibusdam in locis invectum Missarum eleemosynas quadam negotiationis specie conquirendi prorsus reprobamus atque interdicimus. Ordinarii autem locorum, ubicumque opus fuerit, poenis etiam propositis, hujusmodi eleemosynarum collectoribus

---

[1]) Sess. XXV. cap. 4. de Reform.

mandent ut a similibus in posterum abstineant. Omnem praeterea dabunt operam ut quae tum a Concilio Tridentino in Decreto de observandis et evitandis in celebratione Missae,[1]) tum a rec. me. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro Constitutione cui initium *Quanta cura*[2]) sancita sunt suum debitum consequantur effectum, neque ullius fraude, malitia, cupiditate impediantur.

Parem denique curam adhibeant ut aliae quaecumque piae dispositiones tam in ultima voluntate quam inter vivos juxta sacrorum Canonum[3]) et Concilii Tridentini[4]) praescriptiones sartae tectaeque perpetuo sint ac fideliter impleantur.

6. SCHEMA

DE TITULIS ORDINATIONIS.

Quia bonis suis temporalibus Ecclesia multis in locis misere spoliata existit, unde fit ut beneficia pro titulo sacrae Ordinationis plerumque deficiant, et saepe etiam alius deest sacris Canonibus probatus titulus, quo caveatur ne qui divino ministerio adscripti sunt cum ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere cogantur; idcirco ecclesiasticas hac super re sanctiones temperare, et ad praesentes rerum ac temporum circumstantias accommodare necesse ducimus. Itaque, sacro approbante Concilio, decernimus, ut in quibus Dioecesibus neque sufficiens beneficiorum aut pensionum ecclesiasticarum numerus est, neque patrimonii titulus servatis sacrorum Canonum praescriptionibus constitui potest, liceat Episcopis eos quos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum assumendos judicaverint, ordinare titulo patrimonii prudenti ipsorum judicio congrui, et majori qua fieri potest securitate constituendi; et si nec ita patrimonium haberi possit, eosdem Episcopi ordinent titulo servitii suae Dioecesis seu Ecclesiae, et de ecclesiastico officio provideant, quo decenter sustentari valeant. Curent autem Episcopi sive per oblationes fidelium, quorum erga Ecclesiam pietas eum in finem excitanda erit, sive per alia pro locorum opportunitate comparanda subsidia id efficere, ut et is habeatur sacrorum ministrorum numerus quem Dei cultus ac fidelium cura postulat, et eorum qui indigent inopia sublevari queat.

---

1) Sess. XXII. 2) 20. Junii 1741.
3) Cap. *Nos quidem* De testam. Cap. *Si haeredes* et Cap. *Tuae Nobis* eod. tit.
4) Sess. XXII. cap. 8 et 9. de Reform.

SECTIO SECUNDA.

POSTULATA, QUAE PERTINENT AD DISCIPLINAM.

---

1. POSTULATA

COMPLURIUM GALLIAE EPISCOPORUM.

Eminentissime Praeses!

Episcopi qui praesentes litteras subscripserunt, Eminentiae Vestrae, et, per illam, Patribus ad examinanda postulata deputatis, offerunt et commendatum cupiunt scriptum, praesentibus litteris annexum, cui titulus: „*Postulata a pluribus Galliarum Episcopis SS. DD. NN. PIO PAPAE IX. et Sacrosancto Concilio Vaticano reverenter proposita.*“

Haec postulata, seu potius vota, eo fine a nobis simpliciter offeruntur, ut prudenti Vestro Patrumque deputatorum judicio perpendantur, et ex illis depromi possit, et Sacrosancto Concilio submitti, quidquid melius, opportunius et utilius visum fuerit, ad Dei gloriam, Cleri sanctificationem, animarum salutem, Ecclesiaeque utilitatem procurandam.

Quapropter, licet ea multis certe Episcopis placere noverimus, a paucis tantum nihilominus duximus subscribenda; tum ne importunius agere videremur, tum ut liberius examinari possent, quae non petentium multitudine urgerentur, sed sola rerum petitarum gravitate, aequitate et utilitate commendarentur.

Nonnulla ex his petitis jam vel a Summo Pontifice concessa fuere, vel in recenti Schemate, nobis distributo, reperiuntur proposita. Ea tamen in nostro libello reliquimus, quia jam tunc ille confectus erat; et haec caeterum duorum vel trium postulatorum superfluitas Vos minime gravare potest.

Spe freti quod aliqua utilitas ex his nostris petitionibus et votis Sanctae Ecclesiae accedet, nosmet profitemur, Reverendissime Praeses

Eminentiae Vestrae, item et Venerabilium
Patrum deputatorum

Obsequentissimos atque addictissimos famulos
et in Christo fratres.

Huic postulationi subscripserunt 11 Concilii Patres.

De Seminariis clericorum ubique instituendis.

Instituantur in omnibus dioecesibus majora Seminaria, a minoribus prorsus distincta, in quibus omnes ordinandi teneantur habitare et communiter vivere, per quatuor, aut tres saltem annos, studiisque ecclesiasticis et exercitiis spiritualibus, sub sancto piorum et doctorum sacerdotum regimine, operam dare.

Si quae vero dioeceses non possent statim proprium sibi seminarium constituere, ordinandi harum dioeceseon collocentur interim in aliorum Episcoporum seminariis, ut sic deinceps nemo ad sacerdotium promoveatur, quin et diu riteque probatus, et competenti scientia instructus, et ad virtutes, mores, ingeniumque status clericalis per sanctam disciplinam et competentem institutionem fuerit efformatus.

Ut autem Clericorum educatio in seminariis, tum majoribus tum minoribus, perfectior et accuratior esse posset, valde utile videretur speciales aliquas scholas institui, in quibus et ars docendi, et ars altior et difficilior virtutes clericales in juvenibus efformandi addisceretur.

De promovendo in Seminariis sacrarum linguarum studio.

Revelationis divinae adversarii nihil intentatum relinquunt ut sacrorum librorum auctoritatem convellant, et ad hunc pessimum finem assequendum, multas objectiones depromere ma-

ligne student ex primigeniis bibliorum idiomatibus, praesertim ex hebraïca lingua, aliisque linguis semiticis. Valde igitur optandum est, imo prorsus necessarium, ut apud catholicos non torpescat harum linguarum studium. Quapropter, in omnibus clericorum seminariis, tradenda esset, saltem peritioribus alumnis, hebraïcae linguae sufficiens notitia, ut facile possent, privatis postea studiis, ad pleniorem hujus linguae scientiam usumque pervenire. Turpe siquidem foret Ecclesiam catholicam, quae vera est sacrorum librorum custos et interpres, studio linguarum in quibus primitive scripti sunt illi libri, minorem zelum ac protestantes et incredulos impendere.

Quoad linguam graecam, in qua et plures quoque libri sacri scripti fuerunt, et tot supersunt traditionis catholicae eximia monumenta, quis non doleat ejus studium ita in majoribus seminariis praetermitti, ut hujus linguae notitia prorsus in iis ipsis juvenibus obliteretur, qui ei addiscendae plures annos in minoribus seminariis insumpserant. Praescribendum igitur omnino esset ut linguae graecae studium in majoribus etiam seminariis continuari deberet.

De superioribus studiis ecclesiasticis restaurandis.

Evidentissimum est elementa scientiae, sive sacrae, sive profanae, qualiter in seminariis, tum minoribus, tum majoribus tradi solent, necessaria quidem esse, et quasi ulterioris doctrinae fundamenta, nequaquam tamen sufficere, nec ad expositionem, nec ad defensionem dogmatum christianorum, prout id nostrae aetatis necessitates postularent.

Valde igitur optandum esset quosdam nunc, sicut olim, in cujusque Ecclesiae Clero viros inveniri, qui specialius et plenius superioribus studiis incumberent. Cum autem hoc communiter nec facile, nec sufficienter praestari possit absque publicis quibusdam institutionibus, — quales extant, verbi gratia, in Urbe Roma, apud Belgas, et alibi, — utilissimum videretur Episcopos, communicatis consiliis et conatibus, curare et allaborare ut, praeter seminaria, ubique servanda et in meliorem statum adducenda, instituerentur etiam, prout leges moresque cujusque gentis sinerent, vel magna Collegia, vel Universitates, in quibus eminentior scientia coli tradique posset.

De academicis gradibus.

Gradus academici certe ad eminentioris scientiae zelum in Clero fovendum aptissimi sunt. Ut vero finis ille obtineri possit, necesse foret gradus praefatos nemini unquam, nisi post

maxime serias probationes, ullibi conferri. Quapropter, pro singulis gradibus, determinari deberent quaedam quaestionum programmata, in quibus materies examinis, copiosior et difficilior prout gradus altiores sunt, exigeretur. Sed, quia parum statuta prosunt, si non serventur, stricte simul examinatoribus imponenda esset obligatio neminem, sub ullo quovis praetextu, ad honorem graduum unquam admittendi, nisi cujus scientia longis severisque probationibus vere constitisset. Non deberent gradus superiores obtineri per saltum, omissis probationibus ad gradus inferiores requiri solitis. Utilissime etiam renovarentur plures canones qui in Decretalibus continentur, sub titulo: *De Magistris, et ne aliquid exigatur pro licentia docendi.*

Cum vero Universitates nunc paucissimae sint, concedere dignetur S. Pontifex ut gradus theologici in nonnullis majoribus seminariis conferri possint.

Juniores sacerdotes, per aliquot annos, circa sacram scientiam examinandi.

Ut juniores sacerdotes peritiores in sacris studiis fiant, simulque otiositatis periculo subtrahantur, quotannis, per sex vel septem annos a tempore ordinationis suae computandos, teneantur coram Episcopo, vel ab eo designatis examinatoribus, respondere circa quaestiones ad sacras scientias spectantes, et in programmate ad hoc publicato propositas. Ita vero instituatur programma istud, ut contineat, per sex vel septem annorum spatium distributas, materias omnes quae solent in seminariis explicari.

De collationibus ecclesiasticis inter sacerdotes instituendis et frequentandis.

Instituantur in omnibus dioecesibus collationes ecclesiasticae, sexies vel septies saltem in anno habendae, quas ejusdem districtus presbyteri frequentare omnes debeant, et in quibus, juxta programma ab Episcopo propositum, tractentur, tum scriptis, tum oraliter, quaestiones illae quae ad partes sacrarum scientiarum maxime clero necessarias pertinere videbuntur.

De exercitiis spiritualibus a Clero saeculari quotannis habendis.

Omnes ubique Episcopi curare debeant ut exercitia spiritualia, quotannis, per aliquot dies a Clero saeculari habeantur;

idque, quantum fieri poterit, communiter, sive in seminarii majoris aedibus, sive in quovis alio loco qui ad hunc finem aptior videbitur.

In exercitiis spiritualibus presbyterorum facultates latissimae confessariis concedendae.

Facultates latissimae, tum quoad casus reservatos, tum quoad censuras et irregularitates, impertiendae essent, non per indultum, sed per modum concessionis generalis et perpetuae, confessariis ab Episcopis specialiter designatis ad audiendas confessiones sacerdotum spiritualibus exercitiis in communi vacantium. Hanc gratiam, in Concilio Vaticano, a benignitate S. Pontificis concedi reverenter postulatur.

De vita communi in Clero saeculari fovenda.

Cum nihil sit in ecclesiastica disciplina et spiritui Ecclesiae, et antiquis canonibus, et exemplis sanctorum patrum magis consonum, quam *Vita communis Clericorum*, ex qua maximae certe multiplicesque profluere noscuntur utilitates, tum pro morum integritate tutius servanda, tum pro pietate et scientia uberius excolendis, tum pro sacro ministerio magis concorditer et fructuose exercendo, adhortetur Concilium Episcopos ut, quantum in Domino dabitur, huic sanctae communi clericorum vitae favere omnimodo satagant.

Quapropter: 1° Statuant, — ut in multis dioecesibus jamdiu fit, — quoslibet paroeciarum vicarios cum parochis suis, sub eodem tecto commorari debere, et eidem mensae assidere. 2° Sacerdotum saecularium communitatibus, vel piis quibuslibet sodalitatibus, sub diversis formis ac nominibus institutis vel instituendis, omnem favorem et gratiam praestent. 3° Nihil demum negligant et intentatum relinquant, ut Clerus saecularis a separato illo et solitario vivendi modo, qui nimis amorem proprium sapit, ad cohabitationem, convictum, consociationem, quae caritatem redolent et unioni favent, transferatur.

De mulierum in domibus sacerdotum famulatu.

Sacerdotes a domibus suis vel prorsus famulatum mulierum excludant; vel si aliquam mulierem in famulam haberi necesse fuerit, eligatur quae vitae sit omnino probatissimae, famaeque integerrimae; nec aetate minor quam quadraginta annis, nisi sit ex iis proxime cognatis, quas ab antiquis etiam canonibus cum presbyteris habitare concessum erat.

De concursu ad Parochorum electionem.

Concursum ad Parochorum electionem in multis regionibus obsolevisse nemo est qui nesciat. Hoc vero ex multis variisque causis evenit, sed ideo forsan praecipue quia sola fere in eligendis attendebatur scientia, ipsomet probationis exitu comprobata, non autem satis respiciebatur ad pietatem, ad sanctos mores, et ad parochialis regiminis peritiam; unde saepe fiebat ut ad regendas majores parochias promoverentur, qui ne digni quidem fuissent minoribus praefici.

Quamobrem, ubi concursus in usu habetur, necesse foret rem ita componi, ut latissima relinqueretur episcopis libertas, omnibus perspectis et libratis, eos, pro sua prudentia, eligendi, qui non solum docti, sed et ex omni parte magis digni viderentur, posthabitis doctioribus sed minus dignis.

In locis autem ubi, propter peculiares causas, lex concursus non est in usu, difficiliorisque praxis foret, scopus nihilominus legis obtinebitur, si in promovendis parochis magna habeatur ratio scientiae, cujus quisque probationem exhibuerit, tum in seminariis, tum in examinibus clericorum, juniorumque sacerdotum, tum in collationibus ecclesiasticis, tum maxime in obtinendis gradibus academicis baccalaureatus, licentiatus et doctoratus: ita ut, caeteris paribus, vel non multum imparibus, doctior minus docto semper praehabeatur.

Ut vero de scientiae probationibus certius constaret, simulque magis accenderetur studiorum aemulatio, statui posset ut varii meritorum gradus in variis illis probationibus exhibiti non solum in regestis notari, sed etiam vulgari deberent.

De praedicatione verbi divini.

Non pauci, hodie, verbi divini praedicatores, ne multos dixerimus, in magnis praesertim civitatibus, praedicare noscuntur modo magis philosophico, litterario, et naturali, quam vere Christiano; unde illorum conciones, solida doctrina vacuae, et motibus illis ac sancta unctione destitutae, quae ad cordis compunctionem animas excitant, vel nullos omnino, vel modicissimos tantum fructus producunt, et auditores, etiam assiduos, in magna et lugenda ignorantia religionis relinquunt.

Summi igitur pretii esse videretur, si Concilium Vaticanum, Sac. Concilii Tridentini vestigiis inhaerens, decretum speciale ea de re ederet, in quo explicite veras Christianae praedicationis regulas traderet et intimaret, omnes verbi divini praedicatores fortiter commonendo, quatenus Scripturarum divinarum, SS. Patrum et sacrae theologiae studio incumbentes, inde potissimum concionum suarum haurirent materias, et ita

verbum divinum annuntiare studerent, ut et ignaros erudire, et peccatores ad poenitentiam convertere et justos in via virtutum promovere efficaciter possent.

Praeciperetur quoque ut, in parochialibus quibusvis ecclesiis, Doctrina christiana, in pronaïs et concionibus, per ordinem, successive, complete et lucide traderetur; ita ut nemo, parochiae suae praedicationum auditor assiduus, Religionis dogmata, praecepta et sacramenta ignorare posset; ad quem etiam finem multum juvabit, si interdum, bis v. g. in anno, praecipuis maxime festivitatibus, quando plebis major adest concursus, tota doctrinae christianae series breviter et clare exponeretur.

De pastorali sollicitudine erga pueros et juvenes; et primo de frequenti et sedula puerorum confessione.

Cum adultorum tanta pars, virilis praecipue sexus, praxim Christianam prorsus negligat, ecclesias parum frequentet, et sancto Cleri influxui se prope totaliter subtrahat, maximi, hac nostra praesertim aetate, momenti esset ut pastoralis cura zelusque sacerdotalis sollicitius, et quovis possibili modo, erga pueros ac juvenes se impenderent. Quamobrem valde optandum videretur, instantiusque postulatur, ut ea de re, tantae utique et tam urgentis necessitatis, parochos omnes ac sacerdotes admonere vellet Concilium, vehementissimeque, tum adhortando, tum etiam praecipiendo, eos ad id faciendum excitaret.

Et primo: cum matura, frequens et sedula confessio efficacissimum sit medium quo pueri averti a vitiis et christianis virtutibus imbui possint, nihilominus vero nemo nesciat puerorum confessionem a permultis parochis valde negligi, commoneantur et jubeantur omnes sacerdotes curam animarum habentes, ut parvulos, statim ac rationis aetatem adepti sunt, confitentes audire incipiant, frequenter eos ad sacrum tribunal accersant, et teneras ipsorum animas, Christi sanguine redemptas, a peccatis absolvere, et ad pietatem virtutesque informare, omni quo poterunt zelo, studeant.

De Catechismis primae communioni praeviis, et de juvenum perseverantia.

Saluberrima praxis pueros ad primam communionem, per aliquot annos, catechismis publicis, et frequentioribus confessionibus praeparandi, uberrimos fructus, ubicumque ille mos receptus est, produxit. Valde igitur optabile videretur, a Con-

cilio laudabilem illam salutaremque praxim commendari, atque in universa praecipi Ecclesia.

Maxime etiam laudandae et commendandae essent majores illae catecheses *a Perseverantia* nuncupatae, in quibus, post primam synaxim, juventus doctrinam Christianam, pluribus annis, altius pleniusque ebibit, et ad veram solidamque pietatem efficacius efformatur: item et illae variae adolescentium et juvenum societates, sub variis formis et vocabulis institutae *(Oeuvres de Jeunesse, Sociétés de patronage, Cercles religieux)*, ubi juvenilis aetas, honestis relaxationibus allecta, periculis voluptatum societatumque mundanarum feliciter eripitur, simul et per pia quaedam exercitia, christianasque adhortationes in via virtutum et salutis dirigitur et firmatur.

De regularibus.

Circa regulares, qui pars tam nobilis et tam utilis sunt Ecclesiae, modo secundum status sui perfectionem et vigorem sancte vivant, nonnulla statuenda viderentur, quorum haec praecipua:

Suadeantur et admoneantur omnes Religiosi Ordines, sed illi maxime qui, de novo fundati, vel renascentes, periculosissimae tentationi citius crescendi obnoxii esse possent, ut circumspectissimam et severissimam attentionem adhibere nunquam omittant in discretione et electione subditorum qui illis adsociari postulant. — Novitiatus eo instituantur et dirigantur modo, et ita diuturno tempore protrahantur, ut aptissimi sint ad efformandam indolem religiosam, et instillandas ac excolendas in novitiis omnes virtutes evangelicas, quibus personae Deo dicatae pollere debent. — Item, et post emissam professionem, aptiora quaeque adhibeantur et cumulentur media, quibus eaedem virtutes servari atque perfici valeant, et si opus fuerit, promptissime reparari possint.

Haec porro, etsi omnibus Regularibus communia, at illis maxime necessaria esse liquet, qui externis sacri ministerii operibus occupati, pluribus undequaque patent relaxationis periculis, et, si a status sui integritate defecerint, majora scandala Ecclesiae ingenerare possunt. Quamobrem horum praesertim Ordinum et Institutorum Superiores prudentissime caveant ab admittendis illis sacerdotibus, vel clericis qui minus digni sacro ministerio in dioecesibus et seminariis habiti sunt, et quibus saepius, si de sua vere salute solliciti vitam religiosam amplecti velint, claustratae potius et poenitentes religiones suadendae sunt, quam illae quarum subditi, extra claustra ut plurimum degentes, et vigilantiae superiorum subtracti, praedicationi ubivis

locorum vacant: quod utinam nunquam soli facerent, sed semper bini, juxta regulam evangelicam, caute mitterentur!

Cum autem, in statu praesenti Ecclesiae et humanae societatis, circumstantibus hinc et inde invidis hostibus, haereticis scilicet, incredulis, et malis politicis, qui infensissimos animos erga religiosos Ordines gerunt, summae necessitatis sit Regulares quoslibet et sancte vivere, et quidquid scandalum praebere posset ab Institutis suis promptissime removere; statuendae viderentur aliquae juris regulae, quarum ope: 1° Religiosi discoli et scandalosi, quantumvis solemnibus votis ornati, facilius et expeditius expelli possent, et vitae saeculari reddi; 2° domus religiosae, statim ac regularis in eis disciplina gravius relaxari constitisset, reformari, aut supprimi possent, et deberent; 3° neque toleraretur in posterum ulla religiosa societas, vel domus, quae manifeste inutilis in Ecclesia facta esset.

Valde etiam expediret exemptiones de novo non concedi, et jam concessas ita moderate temperari, ut supprimerentur, quantum possibile erit, Regulares inter et Saeculares occasiones illorum conflictuum qui, in hodierno rerum statu, non nisi periculosissime erumpere et agitari possent.

De religiosis mulierum familiis, puellarum educationi et operibus charitatis vacantibus.

Longissime abest ut religiosarum mulierum numerus, quae juventutis educationi, infirmorum visitationi et curae, aliisque operibus misericordiae, tum in urbibus, tum in ruralibus paroeciis, vacant, sufficiens sit. Quantumvis igitur hujus generis instituta, hoc praesertim saeculo, multiplicata sint, novis fundationibus, nedum obsistendum, favendum econtra, positis ponendis, videtur.

Neque ullo modo satis liquet melius fore, ut quidam vellent, si omnis illa Institutorum varietas, quadam veluti fusione, ad tres aut quatuor majores congregationes reduceretur. Timendum quippe esset, ne sic tam sancta illa et tantae utilitatis res funditus perturbaretur; ne vocationum copia notabiliter diminueretur; imo ne observantia et fervor tanto difficilius persisterent, quo facilius, in numerosissimis hujusmodi et valde extensis Congregationibus, et vigilantia superiorum deficere potest, et nervus disciplinae languescere.

Non ergo fiat hujusmodi fusio; neque severius novae fundationes cohibeantur. Admoneri sufficiat Episcopos ut novis fundationibus prudenter invigilent, eas non concessuri, quando vel inutiles, vel spe successus destitutae videbuntur: curent etiam novitiatus rite institui et dirigi; nec unquam, sub quovis

praetextu, tempus probationis minui; item et disciplinam religiosam sancte servari; abususque, si aliqui surrepserint, citius reformari. Haec autem ut praestare possint Episcopi, omnino necesse esset praefata instituta sub illorum jurisdictione et manu relinqui; ideoque nullis exemptionibus immediatae Ordinariorum gubernationi ipsa subtrahi.

De Capitulis.

Si de capitulis, eorumque statutis, in Concilio agendum veniat, ita omnia componantur cauteque attemperentur, ut, quantum fieri poterit, arceantur omnes occasiones conflictuum Episcopos inter et Capitula: ad quod certe maxime conferet, si servetur laudabilis mos in Ecclesiis nostris a Concordatu 1801 receptus, juxta quem Vicarius Generalis Episcopi simul est Decanus Capituli. Inde enim feliciter contingit ut extet vinculum quoddam unitatis, quo Episcopus et Capitulum facilius et quasi naturaliter ad invicem connectuntur et conciliantur.

Episcopi dispensationes omnes concedere possint, quae S. Pontifici expresse non fuerint reservatae.

Cum facultas a positivis legibus, prudenter, in casibus particularibus dispensandi ad bonum regimen animarum pertineat, necessitas autem dispensationum ita frequenter occurrat, ut nimis molestum foret, imo nocivum saepe, si ad Romam ordinario recurrendum esset pro dispensationibus obtinendis, nonne conveniens esset decerni, et in jus commune poni, Episcopos deinceps dispensaturos, ubi tantum de casibus agetur particularibus, super ecclesiasticas leges, nisi quarum dispensationem S. Pontificum prudentia expresse sibi censuerit reservandam.

Reservationes autem dispensationum S. Pontifici locum habere forsan sufficeret in gravissimis legibus, super quas raro et non nisi ob graviores causas dispensari solet.

Episcoporum facultates circa casus occultos latius interpretandae.

Decretum concilii Tridentini, vi cujus Episcopi absolvere possunt a casibus S. Pontifici reservatis, quando sunt occulti, item et dispensare in irregularitatibus ex delicto, si occultae sint, applicetur quoque, propter paritatem rationum, ad irregularitates et peccata reservata quae post Concilium Triden-

tinum constituta fuerunt, imo et ad ea quae deinceps constitui possent. Motiva siquidem legis Tridentinae a tempore, sive ante, sive post Concilium, independentia prorsus esse manifestum est.

Indulta apostolica Episcopis per totum episcopatus tempus necessaria pro toto episcopatus tempore concedantur.

Indulta Episcopis concessa pro facultatibus quae hujus sunt generis ut Episcopus iis pariter indigere per totum episcopatum debeat, viderentur non concedendae ad tempus, ut nunc fit, v. g. ad annum, vel ad tres, aut quinque annos, sed protendendae ad totum tempus episcopatus, idque propter duplicem hanc rationem: 1° ne Episcopis inutiliter imponatur molestia illa petendi tam frequentes renovationes indultorum; 2° (et haec ratio est praecipua) ne actus episcopales multi et gravissimi, v. g. dispensationes, absolutiones etc., exponantur facillimo nullitatis periculo, dum, ut non raro fit, Episcopus vel ejus cancellarius obliti fuerint postulare, tempore requisito, renovationem indultorum.

Hanc obligationem obtinendi per indulta, indesinenter renovanda, facultates ad bonam muneris publici executionem necessarias, nullibi, ut putamus, videre est nisi in regimine ecclesiastico, quod tamen deberet esse omnium regiminum simplicissimum, et in quo praeterea Episcopi locum praestantiorem tenent, quam, in regimine politico, praefecti et officiales.

De Archiepiscopali visitatione restituenda.

Quilibet Archiepiscopus debeat, singulis saltem quinquenniis, cunctas dioeceses provinciae suae visitare; ubi de omnibus diligenter inquirat, et quae corrigenda esse videbuntur, per se, vel relatione ad Romanum Pontificem facta, corrigat aut corrigi procuret.

Archidioeceses autem, ab aliquo ejusdem nationis Archiepiscopo, a Romano Pontifice ad hoc specialiter delegato, singulis saltem decenniis visitentur.

De appellationibus ad S. Sedem non admittendis, omisso medio neque pro levioribus causis.

Appellationes ad S. Sedem, omisso medio secundae instantiae, metropolitani scilicet, non deberent admitti;

Nec, etiam post ipsam secundam instantiam, locum habere in causis levioribus, sed tantum in gravioribus et majoribus, a jure determinandis. [1])

De titulis curiae Romanae honorificis non conferendis sacerdotibus extra Romam degentibus inconsultis ipsorum Ordinariis.

Tituli honorifici et privilegia Camerariorum, Protonotariorum, Missionariorum apostolicorum, non concedantur presbyteris extra Romam commorantibus, quin prius consulti fuerint Episcopi quorum juris sunt; ne periculum incurratur hujusmodi honores et favores indignis, per ignorantiam, conferendi, et molestiam ipsis Episcopis creandi, dum sacerdotes dubiae famae, imo quos aliquando Ordinarii poenis plectere debuerint, a Romano Pontifice honorificari videbuntur.

Item nullus Episcopus canonicatu ad honorem alienae dioecesis presbyterum ornet, nisi prius consulto hujus presbyteri Ordinario.

De viris in sac. Cardinalium collegio, romanisque Congregationibus et tribunalibus adhibendis.

In sacro Cardinalium Collegio, nec non in S. Romanis Congregationibus et tribunalibus, utinam semper sociarentur, cum doctissimis viris, multi etiam homines practici, ex his scilicet qui in gerendis diversis muneribus ecclesiasticis versati fuerint et manum diu habuerint; quales sunt Episcopi, eorum Vicarii generales et Officiales, Parochi, Rectores domuum religiosarum, Missionarii in regionibus infidelium, etc. Haud enim videtur quo meliori et efficaciori modo ad prudentem tutamque tractationem et decisionem tot negotiorum et litium ecclesiasticarum, quae Romam undequaque affluunt, perveniri possit, nisi junctis simul in iisdem conciliis doctrina et experientia, quarum una principia proponit, altera principiorum applicationem, salvis ipsis principiis, rerum exigentiis et difficultatibus attemperare et conciliare novit.

---

[1]) Cf. Postulata S. Concil. Trid. proposita:

„Videtur statuendum, ut omnis causa tractetur in prima instantia coram Ordinario, et in secunda coram Metropolitano, et in tertia coram sede Apostolica, si agatur super beneficio ascendente ad valorem magnum.“ (Postulat. Barth. a Martyr.)

»Appellationes gradatim factae dumtaxat admitti possint, nec omisso medio.“ (Postul. Regis Lusitan.)

Eminentissimi cardinales et praecipui curiae Romanae officiales ex cunctis nationibus assumendi.

Eminentissimos cardinales, itemque SS. Congregationum tribunaliumque Romanae Ecclesiae consultores, officiales, judices, ex omnibus gentibus assumi omnino expediret; quatenus sic, melius cognitis et perspectis uniuscujusque nationis ingenio, moribus, consuetudinibus, statuque omni religioso, civili et politico, res tam generales quam particulares Ecclesiae, vel ecclesiarum, aptius possent et prudentius gubernari. [1])

De Conciliis oecumenicis saepius celebrandis.

Cum in Concilio Tridentino multi enixe postulassent, maxime vero Italiae Episcopi, ut Concilia oecumenica saepius celebrari deberent, [2]) re ad S. Pontificem per RR. CC. Legatos delata, libenter annuerat Pius IV. ut, si ita videretur Patribus, Decretum confici posset de generalibus Conciliis singulis 20 annis habendis. Res tamen deliberationi Concilii a Legatis proposita non fuit. Postulatur igitur ut in Concilio Vaticano, annuente S. Pontificis Pii IX. benignitate et sapientia, Decretum de ea gravissima re deliberationi Patrum proponi possit.

De Conciliis plenariis interdum habendis.

Cum multa sint, sive ad defensionem, sive ad profectum et incrementum rei christianae spectantia, quae, propter identitatem morum, legum, ingenii, statusque omnis tum religiosi tum politici, in eadem gente sunt communia, ideoque non nisi communibus consiliis et conatibus prudenter tractari et efficaciter

---

[1]) Hoc reformationis punctum, utpote maximi, et evidentissimi momenti, propositum reperitur in omnibus postulatis Concilio Trident. submissis:

„Sint diversarum nationum." (Postul. Barth. a Martyr.)

„Cardinales . . . ex omnibus nationibus optimi quique eligantur . . . . . et resideant in urbe." (Postul. variorum Episc.)

„S. R. E. Cardinales ex variis quibusque regionibus et nationibus a Pontifice deligantur, a quibus ipse de rebus et singularitatibus uniuscujusque facilius commodiusque doceri possit et informari." (Postul. Regis Lusit.)

[2]) „Decretum Concilii Constantiensis, de Concilio quolibet decennio celebrando, confirmandum esset, et executioni mandandum." (Postulat. Episcop. Italiae.)

„Ut ea quae statuta fuerint observentur, et quae jure ipso sancita sunt firma permaneant; statuatur ut, annis quibusque viginti saltem, generale Concilium in Ecclesia celebretur, nisi aliter summo pontifici visum fuerit." (Postul. Regis Lusitan.)

agi possunt; valde interesse videretur ut cujusque gentis Episcopi interdum in Conciliis plenariis congregarentur, ad deliberandum et statuendum de iis quae ad communem gentis utilitatem pertinerent. Hoc vero ut ordinate semper fieret, et sine ullo catholicae unitatis periculo, habendae essent aliquae regulae, a jure positae, quarum subsidio et conveniens libertas hujusmodi conventibus relinqueretur, et debita erga Romanum Pontificem dependentia constanter et fideliter servaretur.

De Conciliis provincialibus singulis quinquenniis celebrandis.

Innovetur et executioni mandetur decretum Concilii Tridentini quo praecipitur ut Provincialia concilia singulis trienniis celebrentur; quod tamen ad singula quinquennia reduci posset.

Horum autem conciliorum decreta si necesse sit revisioni S. Congregationis Concilii subjici, antequam publicentur, saltem:

1° Nihil, in decretis, addat S. Congregatio, quod ab ipsis Patribus Concilii tractatum et statutum non fuerit;

2° Liceat comprovincialibus Episcopis publicare separatim decretorum partem a S. Congregatione probatam; quoad illam vero circa quam animadversiones et correctiones propositae fuerint, liberum sit praelatis, prout melius ipsis videbitur, vel eam ad sensum S. Congregationis correctam publicare vel eam omnino supprimere. [1])

De synodis Dioecesanis.

Habeantur interdum, singulis v. g. trienniis, vel quinquenniis, synodi dioecesanae, in quibus Episcopi de iis maxime quae ad clericalem disciplinam, bonum paroeciarum regimen, mediaque salutis animarum procurandae spectant, cum Clero suo, communicatis consiliis, tractent et statuant.

De reformatione juris canonici.

Evidentissimum est, ab omnibns jamdiu agnitum, et ubique conclamatum, juris canonici aliquam revisionem et refor-

---

[1]) Cf. Postulata ad Concil. Trid. proposita:

„Concilia provincialia, ab apostolicis ordinata temporibus, in usum revocentur.“ (Postul. Episc. Italiae.)

„Concilia provincialia, aut synodalia, celebrentur annis tribus singulis“. (Postul. Barth. a Martyr.)

„Decernat Sancta Synodus, ut non solum Synodi Episcopales quotannis semel . . . , sed etiam tertio quoque anno provinciales congregentur.“ (Postul. Oratorum Regis Gall.)

mationem necessariam esse, valdeque urgentem. Siquidem, ob tam multiplices gravesque rerum et societatis humanae mutationes, leges permultae, quaedam inutiles, aliae observatu impossibiles aut difficillimae, evaserunt. De innumeris quoque canonibus ambigitur utrum hactenus vigeant necne. Demum, per tot saeculorum decursum ita excrevit legum ecclesiasticarum numerus, et leges illae in ingentibus juris collectionibus adeo cumulatae sunt, ut aliquo sensu dicere possemus: *obruimur legibus.* Hinc fit ut studium juris canonici infinitis prope et inextricabilibus difficultatibus implicetur; controversiis ac processibus latissimus locus pateat; et conscientiae mille anxietatibus angantur, et in contemptum legum impellantur.

Concilium igitur ad grande hoc et necessarium opus reformationis juris canonici attendere omnino optandum est; quod ut convenienter fiat:

1° Concilium per se ipsum decerneret praecipuos et magis urgentes reformationis articulos, simulque indicaret qua mente et quonam generali conceptu reformatio juris peragi debeat.

2° Institueretur Congregatio aliqua specialis doctissimorum theologorum et canonistarum, simul et virorum maxime practicorum, et ex omnibus assumptorum nationibus, qui universum jus canonicum attentissima revisione introspicerent, et, rejectis quae rejicienda, modificatis quae modificanda, additis quae addenda viderentur, novum Corpus juris conficerent, quod statui praesenti Ecclesiae aptius accommodatum, titulisque, capitibus et articulis juxta materiarum ordinem digestum, huic Concilio oecumenico, vel alteri proxime convocando, examinandum sanciendumque proponeretur. [1]

De censuris, praesertim reservatis, ad pauciorem numerum reducendis.

Sedulo examini subjiciantur, et utinam pro magna parte tollerentur censurae a jure, — excommunicationes, suspensiones, interdicta, — maxime vero quae *ipso facto* incurruntur, et quae sunt S. Pontifici reservatae (salvo tamen S. Pontificis judicio et jure). Harum quippe numerus ita excrevit, ad plura

---

[1]) Aliquid simile in Concil. Trid. postulatum reperitur:

„Deligantur hoc in sacro Concilio viri scientia et probitate conspicui, qui constitutiones omnes Canonicas, peccati capitalis reatum inducentes excutiant diligenter et exponant, videantque num ab ejusmodi reatu poenaque quaedam earum eximenda, quidve circa haec omnia statuendum fuerit et observandum aperte declarent.“ (Postul. Regis Lusit.)

scilicet centena,[1]) ut vix ullus sit in orbe confessarius qui illas omnes scire, vel retinere valeret; et, si cunctae illae censurae in vigore esse dicantur, jugum inde parum tolerabile conscientiis imponitur, quae sic in contemptum poenarum inducuntur, vel anxietatibus et scrupulis implicantur.[2])

De reservationibus peccatorum S. Pontifici ad pauciores casus reducendis.

Reservationes peccatorum S. Pontifici, si non omnino supprimendas, saltem ad pauciores casus, eosque gravissimos ac rarissimos, reduci, apud S. Pontificem supplicetur.

Nostris etenim temporibus maxime refert ut receptio sacramenti poenitentiae, a quo tanta christianorum multitudo recedunt, quam facilior efficiatur. Et praeterea, cum hodie impossibile sit et prorsus inusitatum poenitentes, quantumvis rei sint, Romam mittere, ut absolutionem postulent et obtineant, inde fit ut reservatio casuum S. Pontifici jam non ipsis poenitentibus, bene vero solis Confessariis poenam et molestiam inferat.

Nonne mutanda, vel mitiganda esset disciplina, quae et parum utilis evasit, et tot creat difficultates, cujusque, in summa, praxis prope reducitur ad taediosum litterarum, inter scribas episcopatuum et scribas curiae Romanae, commercium?

Haec reformatio casuum S. Pontifici reservatorum eo magis a benignitate S. Pontificia postulanda videtur, quod — praeter rationes supra allatas — illorum casuum numerus, decurrentibus saeculis, ita excrevit, dum simul multi ex illis vel obsoleverunt, vel in variis regionibus usu recepti non fuerunt, vel consuetudine contraria aboliti sunt, ut jam nemo extet in

---

[1]) Videri potest earum aliqualis elenchus 2° vol. Theol. Buzembaüm, Romae ex typis S. Propagand. 1847.

[2]) Episcopi Italiae in suis ad Concil. Trid. *postulatis*, hoc idem votum enixe proponebant, ut scilicet excommunicationes *innumerabiles* ad aliquas paucas et certas reducerentur, nec poenae adeo graves, in posterum, nisi pro causis gravissimi momenti edicerentur:

„Si possent innumerae excommunicationes ad pauciora et ad certa capita redigi!

„Moderandae quae in Coena Domini leguntur, ut est illa quae contra deferentes arma ad infideles lata est.

„Excommunicationes non concedantur nisi pro rebus maximi momenti."

Cf. etiam postulata Oratorum Galliae:

„Cum excommunicatio sit Ecclesiae supremus gladius, non est passim decernenda, sed pro gravissimo tantum peccato, cum in eo, post unam et alteram, et nonnunquam tertiam monitionem, reus perseveret."

toto orbe terrarum, qui certo dicere posset quinam sint omnes casus papales, et de non paucis merito dubitetur an adhuc vigeant, necne.

Quis non vehementer optet confessarios et juris ac S. theologiae lectores a tali, circa rem tam gravem, confusione liberari! [1])

De catalogo casuum S. Pontifici reservatorum initio cujusvis pontificatus exarando et publicando.

Ne vero materia censurarum et peccatorum S. Pontifici reservatorum iterum recidat in confusionem illam quam nunc videmus, de qua multum ubique doletur, et unde innumerae difficultates, dubitationes, conscientiarum anxietates emergere noscuntur, reverenter postulatur, ut quilibet S. Pontifex, initio Pontificatus sui, publicaret et ad universos orbis Episcopos dirigeret catalogum censurarum et peccatorum quae sibi reservare intendit; ita ut pro abrogatis habendae essent omnes praecedentes reservationes quae in catalogo Pontificis regnantis inscriptae non reperirentur.

Duo maxima commoda ex illa praxi profluerent: Primum, quod deinceps facile et certo sciri ab omnibus posset quinam casus sint reservati, vel non. Secundum, quod catalogus ille, cum sic revisioni frequentissimae subjiciendus esset, opportune, prout mutationes rerum id postularent, reformaretur; nec unquam eveniret reservationes multas semper, ut nunc fit, in jure permanere, etiam postquam ipsorum utilitas cessaverit. [2])

Valde quoque optandum esset, propter similes rationes, ut ejusdem generis catalogus initio cujusvis pontificatus publicaretur, etiam pro censuris non reservatis, utpote quae, in

---

[1]) Cf. postulata Concil. Trid. proposita:

„Quod in foro conscientiae possint Episcopi a casibus reservatis Papae, exceptis poenis gravissimis, absolvere, et dispensare in irregularitatibus . . . et quod possint absolvere semel in vita et in mortis articulo, ut Papae placuerit, sicut conceditur Religiosis.“ (Postul. Barth. a Martyr.)

„Ordinarii in foro conscientiae possint, annuente summo Pontifice, absolvere et dispensare quoscumque, etiam in casibus reservatis, et irregularitatibus . . . ac demum possint in foro conscientiae, quae possunt Poenitentiarii majores.“ (Postul. variorum Episcop.)

„Decernatur etiam omnes et quoscumque casus qui ad forum interius spectant . . . Ordinariorum uni arbitrio committendos esse, auctoritati et judicio.“ (Postul. Regis Lusit.)

[2]) „Censurarum, excommunicationum aut irregularitatum omnium, variis et multiplicibus in constitutionibus expressarum, vix etiam passim a pluribus et vulgo cognitarum, habeatur conficiaturque catalogus.“ (Postul. Regis Lusitan. ad Concil. Trid.)

millibus decretis et constitutionibus Pontificum dispersae, vix ac ne vix quidem a peritissimis ipsis nosci omnes possunt, et permultae in jure manent, quae jam inutiles, aut parum utiles evasisse ab omnibus judicatur.

De legibus matrimonialibus reformandis.

Cum ex una parte, *civile* quod vocant *matrimonium* ita nunc apud omnes, etiam catholicas nationes stabilitum sit, ut nulla spes proxima remaneat abrogationem illius obtinendi; ex altera vero parte nemo non perspiciat quantum mali et scandali profluat ex matrimoniis illis quae, coram Deo invalida, in civili tamen foro pro validis habentur, ad tam perniciosam pestem, pro benignitate et sapientia Ecclesiae avertendam, vel saltem minuendam, attento submittenda videretur examini tota de matrimonio legislatio canonica, eo fine ut, quantum penes Ecclesiam erit et ipsius rei natura permittet, saltem rariores efficiantur casus in quibus idem matrimonium et validum civiliter et in conscientia nullum esse potest.

Ad quem scopum assequendum imprimis conducet impedimentorum dirimentium canonicorum prudens reductio, de qua infra.

De minuendo impedimentorum matrimonii dirimentium numero.

Inter impedimenta matrimonii dirimentia opportune supprimerentur quaecumque absque graviori praejudicio videntur eliminari posse; scilicet:

1° Quartus, imo forsan tertius consanguinitatis gradus.

2° Spiritualis cognatio, nisi forte inter baptizatam et patrinum.

3° Affinitas ex commercio illicito.

4° Affinitas ex commercio licito, ultra primum gradum.

5° Honestas publica ex sponsalibus.

6° Honestas publica ex matrimonio rato, non consummato, ultra primum gradum.

7° Impedimentum criminis ex adulterio solo, absque conjugicidio, aut machinatione conjugicidii. [1])

---

[1]) Cf. Postulata Concilio Trid. proposita;

„Non contrahatur cognatio spiritualis per Baptismum et confirmationem nisi inter ministrantem et recipientem, ob multa inconvenientia.

„Tollantur etiam impedimenta, quae dicuntur cognationis legalis et justitiae publicae honestatis; et minuantur impedimenta consanguinitatis et affinitatis.“ (Postul. Barth. a Martyr.)

De modificando clandestinitatis impedimento.

Si hoc impedimentum dirimens servandum judicetur, saltem ita attemperetur conditio quae exigit, sub poena nullitatis, praesentiam *proprii* sacerdotis exclusive ad alium, ut in posterum gravissimi hujus contractus et sacramenti validitas non dependeat ex tam facilibus erroribus qui circa quaestiones *domicilii*, ac consequenter circa qualitatem *proprii sacerdotis*, oriri et subrepere possunt: unde fit ut multa matrimonia, etiam in facie Ecclesiae contracta, nulla sint. Sufficiat ergo exigere, sub peccati et censurae poena, non autem cum matrimonii irritatione, ut nullus sacerdos, nisi *proprius*, aut ab eo delegatus, matrimonium praesumat celebrare.

Valde etiam opportunum, et benignitate Ecclesiae omnino dignum esse videretur, simul et menti Concilii Tridentini apprime consonum, ut matrimonia protestantium et schismaticorum, quorum heu! ita excrevit numerus, huic nullitatis causae, quae ex impedimento clandestinitatis emergit, nullibi jam forent obnoxia.

Latiores facultates Episcopis, ad dispensandum super impedimentis matrimonii, concedendae.

Latissimae facultates ad dispensandum super impedimentis matrimonii, tum ante celebrationem, tum post, et etiam in radice, Episcopis omnibus concedantur: quod non per indulta temporanea, sed per modum juris fixi et permanentis fieri, benigne concedere dignetur S. Pontifex. Illae tamen S. Pontifici semper reservatae maneant dispensationes, quae nonnisi raro et propter graviores causas dari solent. [1])

„An expediret tollere quarti gradus affinitatem, et consanguinitatem; item impedimenta spiritualis consanguinitatis; item impedimenta publicae honestatis.“ (Postul. Episcop. Ital.)

„Gradus consanguinitatis, et affinitatis, et cognationis spiritualis possent minui, ut tollantur dispensationum causae.“ (Postul. variorum Episc.)

„Nec quartus, nec tertius etiam affinitatis, consanguinitatisque gradus contrahendo nihil obstent imposterum legitimo matrimonio. — „Nulla etiam obstet contrahendo cognatio spiritualis, quam quae levatum inter et levantem oritur.“ — Publicae vero honestatis impedimentum vulgo dictum omnino revocandum ab aliquibus censetur.“ (Postul. Regis Lusit.)

„An moderanda esset lex de tempore quo nuptiae prohibentur.“ (Postul. Episcop. Ital.)

[1]) „Ordinarii in foro conscientiae possint, annuente S. Pontifice, dispensare super impedimentis occultis in causa matrimoniali.“ (Postul. varior. Episc. in Concil. Trid.)

Dispensationes in romana curia promptius expediendae.

Dispensationes matrimonii a romanis tribunalibus quam promptius expediantur, ita ut nulla sit, secluso difficultatum specialium casu, quae, post receptas preces, ultra quatuor vel quinque dies protrahatur. Nullus vero vacationum praetextus rem tam urgentem procrastinare faciat, eo magis, ut omnes norunt, quod municipiorum officialitates, recipiendis *matrimoniis civilibus* praepositae, nunquam vacent.

De feriis SS. Congregationum et Tribunalium Romanorum supprimendis, vel minuendis.

Mederi dignetur S. Pontifex nimiis illis dilationibus et procrastinationibus quas patitur, in Romana curia, expeditio negotiorum et gratiarum, maxime vero dispensationum matrimonialium, unde quotidie gravissima et irreparabilia mala emergunt. Quibus malis si occurrendi voluntas sit, omnino necesse videtur illas longiores et ultra modum multiplicatas SS. Congregationum ac Tribunalium ecclesiasticorum Urbis ferias, ex parte supprimi, ac intra brevissimos terminos coarctari; cautionibus nihilominus adhibitis, ut, in ipsomet vacationum tempore, urgentia negotia semper expediantur.

De reformandis stylo et regulis ad rescripta dispensationum matrimonii spectantibus.

Nemo est, styli et regularum ad dispensationes matrimonii earumque rescripta pertinentium tantisper gnarus, qui non miretur, et vehementer doleat, validitatem rei omnium gravissimae, quale est matrimonium, subjici tot causis nullitatis, tam multis clausulis irritantibus, ut, si attentius omnia introspicerentur, agnoscendum certe et fatendum esset non modicam partem matrimoniorum quae cum dispensationibus contrahuntur, nulla et irrita evadere. Porro, quantum hoc malum sit, hodie praesertim, ob *civile matrimonium,* nemo non videt.

Examinentur igitur cautissime omnes illae ambages formalitatum et formularum, omnisque illa clausularum irritantium congeries, ut expellantur a tam sancta et tam momentosa re, matrimonio scilicet, subtiles illae et adeo multiplices nullitatis causae, quae nec rerum natura omnes exiguntur, nec a prudentioribus ipsis semper caveri possunt, et quae infinitas confessariis, parochis, et officialibus anxietates et molestias creant.

Aboleri imprimis optatur haec, heu! tam frequens nullitatis dispensationum causa quae ex incestu procedit. Item, et illa styli regula, juxta quam omnia, in rescriptis, sub irritante conditione exigi interpretantur, quae *ablativo absoluto* exprimuntur. Inde siquidem quot scaturiant nullitates, ex confessariorum, parochorum et officialium inadvertentia, vix credi potest!

De Indicis librorum regulis et praxi.

Perlegenti cuique regulas indicis librorum prohibitorum quae *generales* dicuntur, facile, ut videtur, apparebit ex illis regulis multas, licet ea qua editae sunt aetate sapientissime conditas, nunc, statu societatis humanae, maxime vero rei litterariae, ubique et radicitus mutato, partim jam sat inutiles, partim observatu maxime difficiles, aliquas etiam impossibiles evasisse. Inde fit ut catholicorum conscientiae plus quam aequum esset graventur, scrupulis innumeris anxientur gravissimaeque exponantur tentationi leges praesenti rerum statui ita parum accommodatas praetermittendi. Omnino igitur necesse et urgens esset ut illae regulae et universa res Indicis, novo prorsus modo, nostrae aetati melius attemperato et observatu faciliori, instaurarentur.

Quod vero spectat ad particulares librorum condemnationes, reverenter postulatur, ut nunquam liber aliquis scriptoris catholici, maxime si sit vir optimi nominis, a S. Congregatione damnetur, quin prius auctor praemonitus fuerit, eo fine ut possit tum observationes et explicationes opportunas suppeditare, tum etiam ea suggerere media, quibus saepe, re prudenter et caritative accommodata, damnum publicum sufficientissime vitari posset, quin ad librum formaliter condemnandum auctoremque infamia respergendum, deveniretur. Optatur praeterea ut S. Indicis Congregatio moderate semper toleranterque se gerat erga opiniones quae, licet revera minus probatae, nunquam tamen formaliter damnatae fuerint. Item, ut libri auctorum catholicorum, in quibus errores aliquos irrepsisse evenerit, non pure et simpliciter condemnentur, eodem modo et stylo ac pessimi impiorum et obscoenorum hominum libri, adhibeatur vero formula aliqua specialis, cujus ope boni nominis viri cum infamibus scriptoribus confundi non videantur.

De revisendo Breviario.

Opportune reformaretur Breviarium; praecipue: quoad lectiones, ab historiis apocryphis non satis expurgatas; quoad

aliquot hymnos, stylo obscuro et prope barbaro compositos; quoad psalmorum distributionem quae magis variari deberet; quoad frequentes nimis, nimiumque dilatas translationes Sanctorum; quoad ipsum delectum Sanctorum, quorum multi Romae proprii sunt, et extra Romam parum noti; quoad mensuram officiorum, quae saepe, in dominicis praesertim et feriis, longiora videntur, et statui praesenti cleri saecularis, multo minus quam olim numerosi, proindeque magis occupati, non satis accommodata. [1])

De indulgentiis.

Circa indulgentias haec prudenti S. Pontificis judicio submittere liceat:

Indulgentiae, cum valde multiplicatae sint, novae minus facile concedendae essent. Serventur gradus et proportio inter opera praescripta et quantitatem gratiarum. In bullis et brevibus indulgentiarum prudenter ab illis verbis abstineatur quibus indocti forsan intelligerent non poenas tantum, sed et ipsa peccata per indulgentias remitti. Indulgentiae praeterea certae sint: ad quem finem exaretur a S. Congregatione elenchus omnium indulgentiarum generalium, concessarum et vigentium, cujus elenchi traductiones in variis linguis a S. Congregatione approbandae essent, cum sanatione, ad cautelam, pro erroribus quos in his irrepere vix caveri potest.

Supprimerentur praeterea, vel, quantum fieri poterit, minuerentur innumerae illae et facillimae nullitatis causae, per quas fit ut indulgentiae saepius irritentur, fidelesque in errorem labantur, dum putant se lucrari indulgentias, quas revera non lucrantur. Hoc praecipue locum habet in indulgentiis ab Archiconfraternitatibus communicatis, quae nempe plerumque nullae fiunt ob neglectas in affiliationibus aliquas ex multis et parum notis formalitatibus, quae, sub nullitatis poena, a Clemente VIII praescriptae sunt.

Provideatur demum, si fieri possit, de aliquo remedio generali, per quod subveniatur fidelibus, quatenus non priventur, sine ulla sua culpa, fructu indulgentiarum, quas bona fide

---

[1]) Cf. Postulata Concil. Trid. proposita:

„Tam breviaria, quam missalia reformanda essent, et purganda." (Postulat. variorum Episc.)

„Libri Missales, Graduales, Antiphonarii, Legendae et Breviaria religiose et diligenter recognoscenda et expurganda: apocrypha expungenda: prolixitas taediosa in horariis precibus et psalmodia, habito delectu, resecanda." (Postulat. Imp. Germ.)

lucrari nituntur, et quae, ob causam aliquam nullitatis, quae ipsos prorsus latet, valore suo destituuntur.[1])

An conveniat leges abstinentiae et jejunii ad quamdam uniformitatem reduci, vel etiam mitigari.

Constat eas Ecclesiae leges quae ad abstinentiam jejuniumque spectant, non eodem, sed valde diverso modo in variis regionibus observari.

Constat etiam, luctuosis hisce nostris temporibus, novas, nec parvas, adesse difficultates integrae istorum praeceptorum observationi, unde fit ut saepius non particulares tantum, sed etiam generales peti et concedi debeant dispensationes.

Forsitan ergo haud inutile foret super hac quaestione Concilium oecumenicum inquirere quid *agendum* sit?

De piis imaginibus, de miraculis et de novis devotionis praxibus.

Saepius eduntur, et inter fideles propagantur imagines piae, ut dicuntur, quarum vel ipsemet conceptus, vel graphidis executio ita ridicula sunt, ut non nisi ad cachinnos movendos, religionisque contemptum provocandum aptae esse videantur. Item miracula publicantur, quae, Episcoporum examini ante divulgationem non subjecta, posthac falsa vel dolo supposita esse reperiuntur, non sine magno verorum miraculorum detrimento. Item aliqui, indiscreto zelo ducti magis quam ea quae secundum scientiam est pietate, novas in medium proferunt et fidelibus proponunt devotiones, novasque cultus praxes, plus minusve absonas. Innovetur igitur decretum concilii Tridentini, juxta quod haec omnia, antequam publicentur, Episcoporum examini submitti debent.

Die diariis catholicis moderandis et compescendis.

Tristi experientia constat plurima mala, eaque gravissima, profluxisse in rem publicam christianam ex diariis etiam catho-

---

[1]) Cf. Postulata Concil. Trid. proposita:

„Profusus ille, tamque generalis, Indulgentiarum coerceatur numerus; nec cum aliquas elargitur Sanctissimus, eas alteri communicandi, transferendique potestatem habeant illi quibus concessae fuerunt.“

„Pristinus immutetur Indulgentiarum concessionis stylus et forma, nec ad tot annorum, dierumque myriades extendantur et numerentur; sed ad quartam duntaxat, certamve peccatis debitam poenae remissionem et relaxationem se extendant“. (Postul. Reg. Lusitan.)

licis; quorum malorum haec praecipua sunt: verae doctrinae et pietatis christianae, in diversis et oppositis sensibus, corruptiones; — censurae et notae theologicae injuriose a privatis scriptoribus opinionibus et personis ab Ecclesia non condemnatis inflictae; — divisiones et discordiae inter catholicos et in ipso Clero seminatae; — imminuta quae Episcopis debetur reverentia et subjectio; — odia vehementissima Ecclesiam adversus Sanctamque Sedem undequaque concitata; — quotidiana, eaque periculosissima et scandalis plena, in rebus ecclesiasticis hominum prorsus incompetentium immixtio, quorum pars magna indocti, imprudentes, violenti sunt, partiumque studiis dediti; — catholicorum tandem et ipsius Cleri directio, in iis quae spectant ad quaestiones et negotia ecclesiastica occurrentia, Pastoribus et doctoribus Ecclesiae quasi subtracta, et a laicis scriptoribus usurpata et exercita, etc. . . . .

Hujusmodi certe malis, aetati nostrae maxime propriis, saeculisque praecedentibus prope incognitis, efficax aliquod inveniri et afferri remedium necesse et urgentissimum est; alioquin graviter certe periclitaretur pax et dignitas, imo et, aliquo sensu, divina ipsa oeconomia Ecclesiae, laïcis sese in magisterium ingerentibus.

Quapropter instantissime petitur, ut quaestionem hanc Concilium sedulo suo subjiciat examini, quatenus ea statui possint quae apta magis et opportuna in Domino videbuntur, ad avertenda omnis generis mala, scandala et pericula ex illo novo, incompetenti et indisciplinato modo scribendi et docendi circa res ecclesiasticas promanantia.

De cautionibus adhibendis ne res Concilii imprudenti et indisciplinata immixtione diariorum publicorum perturbentur.

Cum nullum adhuc Concilium in Ecclesia habitum fuerit ex quo tempore diaria publica inventa sunt, nullas reperire est in praecedentibus Conciliis adhibitas cautiones ad amovenda gravissima mala quae, durante Concilio, ex immixtione diariorum publicorum in rebus et gestis Concilii oriri possent.

Hujusmodi igitur cautiones adinveniendae jam erunt et applicandae a Vaticano Concilio, idque sub ipsomet sessionum initio: quod, etsi difficile sit, non tamen impossibile fore videtur, maxime erga diaria catholica: et ita, sinon ex toto, saltem ex parte, incommoda et pericula quae timentur praecaveri poterunt, aut minui.

De adducendis vel reducendis ad fidem et unitatem catholicam infidelibus, schismaticis et haereticis.

Dum celebrabitur hoc generale Vaticanum Concilium, extant in orbe terrarum 1,200,000,000 circiter hominum, ex quibus plus quam 800,000,000 adhuc in tenebris infidelitatis misere jacent, 70,000,000 ab Ecclesiae sinu schismate graeco separantur; 90,000,000 in variis potestantium sectis dividuntur; 200,000,000 sunt catholici, boni vel mali, quos inter si quantus sit incredulorum et indifferentium numerus quaeratur, respondendum: facilius esse eos plangi, quam numerari!

In tali porro humani generis statu, nemo est qui non videat unum e primis, praecipuis, intentissimisque sacrosancti istius Concilii studiis esse debere:

1° Ut inquirantur, inveniantur et applicentur aptissima quaeque media, quibus, Dei juvante gratia, tanta multitudo hominum, pretiosissimo Christi sanguine redemptorum, ab infidelitatis et erroris umbris ad purum veritatis lumen adduci possint;

2° Ut prudenter devitetur quidquid, absque summae necessitatis evidentia, nova obstacula tam sancto huic operi conversionis et reductionis infidelium et acatholicorum interponeret;

3° Ut, salvis et in integro manentibus sacris dogmatibus, morum principiis, et essentiali tum christiana tum clericali disciplina, benigne et indulgenter concedatur quidquid ad christianitatem venientibus, vel ad unitatem redeuntibus, evangelii et Sanctae Ecclesiae ostium latius faciliusque aperire posse perspicietur.

De conversione infidelium.

Nunquam, ex quo fundata est Ecclesia, via latior et facilior ostiumque apertius conversioni infidelium patere visa sunt, quam hacce aetate nostra, dum una simul ad hoc concurrunt, non sine magno et evidenti divinae Providentiae consilio, et stupenda itinerandi rapiditas, et continua populorum vel distantissimorum commercia, per quae christiani infidelibus admiscentur, et ubique mox stabilitum novum gentium jus, libertati praedicationis maxime favens.

Luce igitur solis clarius est Ecclesiae nunc operam esse ut, novo et ardentissimo zelo, huic tanto propagandae fidei labori et operarios advocet, et operandi media legesque disponat ac statuat. Ad quem finem assequendum haec conducere posse viderentur:

1° Creentur in diversis Ecclesiae partibus Seminaria quaedam specialia, ad instar Romani seminarii Propagandae fidei, vel Parisiensis Missionum exterarum, ubi clerici saeculares diversarum gentium, qui evangelizandis infidelibus destinarentur, specialem ad hoc institutionem reciperent, edocti a viris qui et ipsi in missionibus diu laborassent.

2° Praeter missionarios instituantur in partibus infidelium, quantum et quovis id fieri poterit, scholae, seminaria, et monasteria, quae essent quasi fomites quidam ignis sacri, et velut centra ex quibus fidei lux et charitatis calor, inibi ardentes, circumquaque irradiarent.

3° Nihil omittatur ut, quantocius id possibile fuerit, efformetur in his regionibus Clerus indigena, et quo facilius Clerus ille perfectiusque institui possit, mittantur in Europeanas partes adolescentes, ad studia aptiores qui in Seminariis nostris edoceantur et educentur.

Liceat proponere aliud votum, quod sapientissimo S. Pontificis judicio, cum omni reverentia, submittimus.

4° Statim ac satis numerosae et stabiles christianitates coadunari potuerint, erigantur ibi dioeceses, atque instituantur Episcopi, qui non tam a Propaganda pendeant, quam sub jure communi sint. Quo enim, servatis legibus, plenior est agendi libertas, eo expeditior et acrior est actio; et res quaevis clarius videntur et aptius aguntur ab iis qui prope sunt, omniaque sub manu habent.

De schismaticis graecis ad unitatem Ecclesiae recolligendis.

Ad Graecorum schismaticorum conversionem, — tam optabilem utique, utpote qui pars magna christianitatis sunt, veneranda tot Sanctorum Patrum et Doctorum prosapia nobilitati, et fidem, sacramenta, sanctos ritus, christianamque disciplinam fere in integro adhuc servantes, — haec, tanquam praecipui et maximi momenti, sacrosancto Concilio proponenda nobis visa sunt:

1° Nullae novae ederentur dogmatum definitiones, ex quibus praevidendi locus esset nova, prioribusque majora, unioni obstacula afferenda.

2° Permitterentur Orientalibus ritus sui, prudenterque vitaretur quidquid falsam persuasionem vel suspicionem ipsis ingerere posset quod, si uniantur, ad amplectendos latinos ritus adigentur.

3° Item, in ipsorum disciplina tolerarentur omnia quae absque divinarum sanctionum laesione tolerari possunt; maxime

quoad antiqua privilegia Patriarcharum et metropolitanorum, et quoad Episcoporum electionem, confirmationem et jura.

4° Si quid corrigendum apud ipsos videatur, quod tamen differri possit, prudenter taceretur, non attendendo impraesentiarum nisi ad summam rem, unionem videlicet, et fidenter in Domino sperando quod, postquam uniti fuerint, charitate unitatis et lumine veritatis eo adducentur, ut sponte quaecumque emendatione digna fuerint, ipsi emendent.

5° Cum ignorantia una sit e praecipuis causis per quas in schismate retinentur et obdurescunt, nihil negligeretur ut ipsis verae scientiae catholicae lumen affulgeat: ad quod multum inserviret, si in illorum partibus creari possent quaedam monasteria vel collegia virorum, pietate scientiaque insignium, qui, graece viventes et graece orantes, studiis omnibus ecclesiasticis, maxime vero graecis, totos se darent, simulque per lectiones, praedicationes et scripta veram doctrinam spargerent et discipulos efformarent.

6° Haberentur Romae selecti aliqui viri, non latini tantum, sed et graeci, rerumque graecarum gnari et expertissimi, qui Sanctae Sedi apostolicae in omnibus ad graecos spectantibus a consiliis essent.

De dividenda, vel duplicanda, maxime in favorem Orientalium, sacra Congregatione Propagandae fidei.

Cum missionum prosperitas et populorum infidelium vel acatholicorum conversio maxime pendeat a prudenti et solerti distributione sive operariorum apostolicorum, sive pecuniae et aliorum auxiliorum quae fideles pro fidei propagatione conferunt, nonne utilissimum esset Congregationis dictae *Propagandae Fidei* divisionem, seu duplicationem fieri, et duas veluti institui *Propagandas:*

Alteram, pro Oriente, non unice nec praecipue ex latinis Praelatis, sed ex Orientalibus quoque, et omnium linguarum Orientis viris coalescentem;

Alteram pro regionibus infidelium, ex Episcopis aut sacerdotibus efformatam qui missionarii fuerint, et ex Regularibus qui et ipsi missionibus inservierint, et ad varios Ordines missionibus incumbentes pertinentibus.

Quo enim melius res missionum intelligi et tractari possent, quam a viris qui et regiones istas longinquas incoluerint, et suismet oculis viderint quis sit vere rerum atque hominum status in his partibus?

Cum autem totius Ecclesiae episcopi sollicite curent, vel curare debeant, propagationem Evangelii — ex omnibus quippe

dioecesibus proficiscuntur missionarii, et ubique viget illa nunquam satis laudanda atque dilatanda sodalitas *Propagatio fidei* nuncupata — optandum videretur ut quotannis ad omnes episcopos dirigeretur libellus quidam, publica Propagandae auctoritate edendus, qui eos de vero missionum catholicarum statu edoceret. Sic enim et sanctissimi hujus operis progressus melius ab Episcopis noscerentur, et ipsorum zelus ad efformandos et adjuvandos missionarios vehementius accenderetur.

Ubicumque condita atque stabilita jam viget catholica hierarchia, v. g. in Anglia, in America, in Hollandia, nullomodo necessarium videretur earum regionum ecclesias Congregationi Propagandae subjici, sed nonne potius esset eas ad juris communis regimen revocari?

Haec tamen iterum vota dum reverenter proponimus, ea plenissime S. Pontificis judicio et arbitrio, a quo tota res illa pendet, subjecta volumus.

De reducendis haereticis.

Haeretici quidem in ipso Concilii sinu admitti nequeunt, eo fine ut cum illis deliberetur circa dogmata jam definita; quod enim semel in Ecclesia definitum est, fixum manet, et retractari nequit. Nec etiam admitti possent tanquam Concilii pars, et ut vocem haberent in his quae conciliariter deliberanda erunt et statuenda; prius enim est membrum esse Ecclesiae, quam esse membrum Concilii.

Sed nonne benigne et caritative invitandi essent ut, occasione Concilii, Romam venirent, ubi, cum summa recepti benevolentia, privatim conferre possent cum doctis piisque viris, ad id deputatis, qui ipsorum difficultates audirent et explanare niterentur; simulque, consociatis consiliis, tractaretur cum illis de aptissimis mediis removendi separationis praetextus, procurandaeque unionis, ut quae ad hunc finem obtinendum meliora visa fuissent, ad Concilium referrentur?

Hic agendi modus, cum spe aliqua felicis exitus, adhiberi posse videretur, ni fallamur, erga hos praesertim anglicanos, qui fidem ritusque Ecclesiae catholicae proximius jam sectantur, et unionem cupere noscuntur; eo magis quod, in hac conversionis eorum inchoatione, si qui sunt in illis antesignani suaderi et reduci possent, non jam paucorum hominum, sed innumerae simul multitudinis, lucrum fieret.

Maximae etiam utilitatis esset, si Concilium, pro summa illa, qua donatur a Spiritu veritatis et caritatis, prudentia, delinearet aliquam directionem ad usum catholicorum, tum e clero, tum e laïcis, qui, in protestantium regionibus, conversioni

fratrum nostrorum separatorum allaborant, vel allaborare poterunt. Cujus profecto directionis hic esset cardo, ut erga acatholicos, qui de reditu ad Ecclesiae gremium cogitant, cum maxima charitate, indulgentia, imo et reverentia semper ageretur, nec ab eis unquam aliquid exigere ullus praesumeret praeter ea quae necessaria sunt, ut vere in fide et unitate catholica quis existat: sic enim forsan eveniret ut redirent multi, et reduces ipsi alios reducerent, subindeque, post reditum, paulatim ad perfectiora, gratia sublevante, assurgerent.

Eo vero magis opportunum necessariumque praesenti tempore foret, ut Concilium catholicos vehementer ad sanctum hoc opus conversionis separatorum fratrum adhortaretur, atque in hoc opere tanti pretii ducatum eis et lumen praeberet, quod nunc, in rationalismum et incredulitatem labente jam ubique protestantismo, quicumque ex illis aliquem fidei pietatisque christianae sensum retinuerunt, religionem sic evanescentem magis ac magis suspectam habere incipiunt, imo evidenter falsam esse ex eventu agnoscunt, et sic oculos ad Ecclesiam catholicam convertere coguntur.

De cautionibus in redactione Decretorum errores condemnantium nunc adhibendis.

Quando nunc nova profertur errorum aliquorum dogmatica condemnatio, haec statim, velit nolit Ecclesia, in omnibus per totum orbem publicatur diariis, qui suis illam commentariis adornare nunquam omittunt. Cum autem diariorum illorum scriptores dialecticae theologiaeque regularum et styli prorsus ignari sint, inde fit ut falsissimos saepe sensus hujusmodi decretis adscribant; sicque maximae perturbationes in animis fiant, multique, etiam catholici, in fide graviter tententur. Hoc certe magnum dispendium est, quod, partim saltem, vitari posset, si nulla unquam ederetur errorum condemnatio, quin clarum et praefinitum sensum exhiberet. Imo, damnatae doctrinae falsitatem, et contradictoriae veritatis motiva, paucis verbis, quantum fieri posset, ostendi opportunum esset. Moderandus forsan et stylus foret, abstinendumque, vel parcissime utendum, erga errantes, quibusdam acrioribus verbis, quae, licet a parte sui nihil immoderatum habeant, attentis tamen hodiernorum hominum dispositionibus, multo plus nocitura quam profutura timendum est.

De prudenti modo specialiter servando in condemnandis modernis erroribus.

Si videatur aliquos ex erroribus qui moderni dicantur damnandos esse, — quamquam ipsorum revera nulli moderni sint, et omnes jam per principia fidei et Ecclesiae definitiones satis damnati existant, — errores qui proscribendi judicarentur, clare, praecise et determinate enuntiandi essent, nequaquam vero per voces complexas et multivocas, sub quarum ambigua generalitate bonum cum malo, verum cum falso simul admixtum confundi possit. Ab illis maxime abstinendum vocibus quae, licet ad errorem a quibusdam trahantur, bonum tamen sensum prae se ferunt, imo in communi hominum sensu bene sonant; ne unquam videatur sancta Dei Ecclesia, quae omnium temporum est, infensam se exhibere iis quae moderna sunt, ut stulte et maligne ab ejus hostibus conclamatur, sed tantum iis quae mala et falsa sunt.

Novae fidei definitiones, nisi ex omnino necessaria causa, non edendae.

Attento praesenti statu Ecclesiae, humanaeque societatis, prudens opportunumque videretur ut novae definitiones fidei non ederentur, nisi ob maximam et evidentissimam necessitatem; in his praesertim materiis ubi, pro notis temporum circumstantiis, hominumque hodiernorum ingenio, praevideri et timeri facile possent animorum perturbationes et scandala.

De charitatis et misericordiae operibus laudandis et promovendis.

Hac nostra aetate, quam mirabiliter apud catholicos efflorescant charitatis et misericordiae opera nemo est qui non videat, et omnes pariter norunt quantum inde, apud ipsos indifferentes et incredulos, laudis et decoris sibi vindicet religio. Quamobrem maximi pretii fore videretur si Concilium, pro auctoritate qua pollet, huic sancto charitatis fervori nova cumularet incentiva, impense et nominatim laudando opera misericordiae quae passim fieri noscuntur, et fideles vividius adhortando ut in inveniendis et exercendis novis charitatis operibus solertiores adhuc et largiores sese exhibere niterentur. Hujus enim profecto sancti Concilii et copiosissimus fructus existeret, et summus honor foret, si, ipso suadente et impellente, ita, magis ac magis, misericordiae opera et institutiones deinceps

multiplicarentur, ut nulla jam extarent pauperum necessitates et miseriae, quibus abundanter a charitate catholica non subveniretur.

2. POSTULATA

QUAEDAM COMPLURIUM EPISCOPORUM GERMANIAE DESIDERIA S. CONCILIO OECUMENICO VATICANO PROPONENDA.

I.

Quia omne verum et sincerum reformandi studium a semetipso reformando incipit, ante omnia alia petimus, ut S. Synodus tam Episcopis, quam omnibus Clericis ea, quae ad vitam sanctae suae vocationi congruam et ad muneris sui officia gravissima fideliter implenda spectant, serio inculcet, in specie ut Episcopis et Sacerdotibus exercitiorum spiritualium usus singulis vel binis annis repetendus, nec non conferentiae pastorales singulis vel alternis mensibus instituendae atque vita clericorum communis enixe commendentur, ut certae regulae circa sacerdotum cum mulieribus cohabitationem, de cauponis ab iisdem vitandis, de dispositione super bonis ex beneficio vel officio ecclesiastico provenientibus debita tam inter vivos quam mortis causa, de obligatione parochi circa scholarum et pauperum curam denuo definiantur et praescribantur.

Cum multae dioeceses tam amplae existant, ut Episcopi officii sui partes etiam gravissimas omnino implere non valeant, petimus, ut ubicunque fieri potuerit, dioeceses nimiae amplitudinis per novam circumscriptionem ita imminuantur, quatenus Episcopi omnibus sui officii partibus, saltem gravioris momenti, ipsi satisfacere possint.

II.

Quia teste S. Concilio Tridentino S. 24. de ref. c. 2. experientia docet, propter prohibitionum multitudinem multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno scandalo perseveratur, vel quae non sine eodem dirimuntur, jam Concilium Lateranense III. et Concilium Tridentinum matrimonii impedimenta diversa abrogarunt. Hodierno autem tempore, quo jam plurimis locis matrimonium, quod vocant civile, per leges civiles praescriptum est, atque

impedimenta canonica formaque a Concilio Tridentino pro matrimonio contrahendo praescripta per easdem leges civiles non amplius agnoscuntur, plurima connubia ubique fere contrahuntur, quae ex jure canonico nulla sunt censenda, et exinde peccata atque animarum pericula aeternae salutis innumera et gravissima proveniunt.

Praeterea commercium hominum atque nationum etiam maxime inter se dissitarum nec non domicilii sive commorationis immutatio frequentissima, quae moderno tempore ubique fere pristinae immobilitatis et stabilitatis locum obtinuerunt, impedimentorum matrimonii indagationem valde difficilem eorumque imminutionem maxime necessariam reddunt. Propterea petimus:

a) ut impedimentum quarti gradus consanguineitatis, quarti vero et tertii affinitatis ex copula licita ortae nec non cognationis spiritualis et publicae honestatis ex sponsalibus provenientis atque affinitatis ex copula illicita ultra primum gradum et criminis ex solo adulterio absque conjugicidio vel ipsius machinatione proveniens abrogetur;

b) ut Episcopis concedatur facultas dispensandi super gradu tertio et quarto mixto secundo consanguineitatis et affinitatis;

c) ut dispensatio sive facultas dispensandi a S. Sede Apostolica impertita non amplius per copulam reticitam vel patratam vel iteratam post missas preces tanquam nulla reddita habeatur, quia exinde saepissime matrimonia contrahuntur invalida. Cum Oratores falsa verecundia seducti aut novas difficultates timentes verum conscientiae statum non manifestent, maxime desiderandum est, ut nupturientes non cogantur ea manifestare, quae ad propriam turpitudinem spectant.

d) Petitur, ut conditio seu obligatio, alteram partem de matrimonii nullitate certiorem reddendi, quae facultatibus pro matrimonii revalidatione necessariis apponi solet, in iis casibus, in quibus causa nullitatis occulta est et alteri parti notificari non potest sine scandalo, vel modificetur, vel permittatur, ut renovatio consensus matrimonialis conditionata eo modo, quem commendavit Benedictus XIV. Papa fel. recordat., fieri possit, quia alias gravissimae semper difficultates obveniunt in exequenda hujusmodi facultate.

e) Petitur, ut Episcopis facultatum, quibus gaudent, dispensandi super matrimonii impedimentis, usus ita concedatur, quatenus concurrentibus quoque pluribus impedimentis iisdem sine dubio licite ac valide uti possint.

f) Petitur, ut in verificandis dispensationum motivis non

amplius requiratur formalis processus juridicus, sed Episcopi arbitrio relinquatur, qua via causarum veritas sit eruenda.

g) Ut grave odium, quod per taxas pro dispensationibus solvendas contra S. Ecclesiam inter fideles atque infideles excitatur, imminuatur, petimus, ut causae, ob quas pro pauperibus dispensari consuevit, aequiparentur iis, propter quas pro divitibus dispensatio conceditur.

h) Denique considerantes, quot peccata atque scandala per moram diuturnam haud raro oriuntur, quae cum recursu ad sacram Sedem Apostolicam necessario conjuncta est et per curiarum ferias saepe valde prolongatur, humillime atque enixe petimus, ut in rebus matrimonialibus *quocunque anni tempore absque mora* dispensationes expediantur.

III.

Casuum et censurarum Summo Pontifici reservatorum in praesenti tantus est numerus et tanta incertitudo, ut exinde dubia multa et difficultates Episcopis et Confessariis oriantur, parum autem utilitatis proveniat. Propterea maxime desideramus, ut eorum catalogus revisioni et reductioni subjiciatur et in specie censurae, quas vocant latae sententiae aut omnino tollantur, aut ad parvum criminum maxime enormium numerum reducantur; facultates autem, quibus Episcopi ad muneris sui administrationem ordinariam indigent, non ad Quinquennium, sed ad muneris durationem concedantur, quemadmodum a Sacra Congregatione de Prop. Fide Vicariis Apostolicis concedi solent.

IV.

Petimus, ut regulae Indicis, quae partim in regionibus mixtis nunquam omnino observari poterant, partim vero ob omnino immutatum societatis humanae et in specie rei literariae statum in praesenti nusquam fere observari possunt, ideoque multas conscientiarum anxietates et confessariorum dubia provocant, recenti revisioni et redactioni submittantur. Petimus quoque, ut novorum librorum censura non promulgetur, nisi prius audito auctoris Ordinario, quia haud raro evenit, ut absque censurae publicatione erroris revocatio effici valeat, si auctor bonae sit voluntatis.

V.

Forma processus canonici hodie in diversis dioecesibus valde existit diversa; quare humillime petimus, ut certa forma

ubique observanda et quidem summaria praescribatur. Quia autem in corpore juris canonici permulta inveniantur praescripta, quae in praesentiarum non amplius habent vigorem, maxime optandum est, ut nova collectio fiat eorum canonum, qui adhuc vigent omissis omnibus, qui jam abrogati esse dignoscuntur. Propterea humillime petimus, ut S. Synodus ad Sanctissimum Patrem dirigat supplicam, quatenus ad redigendam ejusmodi SS. Canonum novam collectionem viros aliquos peritissimos deputare dignetur.

VI.

Breviarium Romanum nonnullis locis quaedam continet, quae cum historia certa fide digna et sana S. Scripturae exegesi non omnino convenire videntur; quare petimus, ut ad corrigendos ejusmodi locos nonnullos Breviarium revisioni accuratae subjiciatur. Simulque petimus, ut Sacerdotibus saltem curatis permittatur, officium matutinum semper ab hora pomeridiana secunda anticipando recitare, quia postea saepe aliis functionibus suis muneris impediuntur.

VII.

Decretum S. Concilii Tridentini de concursu pro parochiis speciali instituendo in multis amplioribus dioecesibus nunquam in usum pervenit, in multis aliis autem jam approbante S. Sede Apostolica ejusdem loco hodie concursus generalis ad explorandam scientiam et omnigenam idoneitatem Sacerdotum, qui ad parochiae munus adspirant, habetur. Propterea petimus, ut illud S. Concilii Tridentini decretum revisioni submittatur, et ea examinis sive concursus norma praescribatur, quae ubique valeat ac debeat observari.

VIII.

Propter gravissima detrimenta, quibus per juris patronatus laici abusum salus animarum saepe afficitur, petimus, ut meliori quovis modo huic malo medela afferatur. Quod fortasse fieri potest per praescriptum, ut patronus laicus inter tres ab Ordinario designandos Sacerdotes praesentandum eligere teneatur.

IX.

Ut gravissima mala, quae ex vita vitiosa et scandalosa parochi aliorumque Sacerdotum in populum fidelem redundant, facilius evitari vel averti possint, petimus, ut inter causas pri-

vationis beneficii curati legitimas assumantur: simplex fornicatio notoria, concubinatus manifestus, ebrietas nec non prodigalitas incorrigibilis atque scandalosa. Pariter petimus, ut permittatur translatio parochi non voluntaria vel dimissio cum pensione congrua, quoties per sententiam sive per vota Examinatorum prosynodalium constiterit, eundem ad regendam parochiam non amplius esse idoneum.

X.

Propter immensa pericula, quae per sectam muratorum liberorum nuncupatam aliasque societates secretas quotidie rei Christianae parantur, enixe petimus, ut S. Concilium decreta contra ejusmodi societates jam pridem promulgata renovare nec non efficaciori modo contra easdem procedere dignetur.

Motiva necnon speciales postulationes, quae ad hanc petitionem pertinent, in libello adjecto sub titulo: „Qua via Ecclesia contra societates secretas procedere valeat etc.“ satius exponuntur. Petimus, ut ex adjectis exemplaribus unum Sanctissimo Patri, octo Eminentissimis S. Concilii Praesidibus et Secretariis exhibeantur, caeteraque inter singulos Patres distribuantur.

Romae VIII. Januarii 1870.

3. POSTULATA

ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPORUM BELGII.

Emi ac Rmi Domini!

Concilium Tridentinum pro reformatione statuit ea quae statuere poterat attenta temporum necessitate; non autem ei datum fuit meliora et perfectiora praescribere.

Episcopi autem Belgii decreta disciplinaria Tridentini adimplere conati sunt et, Deo benedicente, quaedam ad majorem perfectionem juxta Tridentini mentem perduxerunt. Hinc perfectionem inductam et jam usu firmatam consecrare cupientes, petunt decreta Concilii Vaticani ita conscribi, ut haec perfectio non impediatur, imo ut nonnulla universaliter commendentur ac praecipiantur, ut breviter in sequentibus, judicia Ecclesiastica, Clerum ac pias nonnullas Congregationes spectantibus, exponitur.

I.

De Judiciis Clericorum.

In Belgio Tribunal Ecclesiasticum in Clericis judicandis potius paternum vocari posset, fitque sine ullo strepitu. Presbyteri prolapsi ab Episcopo vocantur et correctionem poenamque passim subeunt submisse, firmiter persuasi haec fieri juste et misericorditer. In tabulario vix aliquid servatur quo fama Cleri imminui aliquando possit, nisi praevideatur necessitas adhibendi quaedam documenta, si de sententia appelletur.

Postulatur itaque ut addatur in decretis de judiciis: si alicubi omnia paterne fiant, ita ut disciplina ecclesiastica inde nullum damnum patiatur, hanc praxim, mansuetudini Christi conformem, nullo modo improbatam volumus.

II.

De Clericorum Seminariis.

Seminaria in Belgio florent studiis et vera pietate, ex eo quod alumni humaniora discentes educantur in minori, ut vocari solet, Seminario, veste modesta non tamen prorsus clericali induti, omnino separati ab Alumnis qui disciplinis theologicis incumbunt. Hi autem ad ordines non admittuntur, antequam per longum tempus, annos scilicet tres vel quatuor, in Convictu Seminarii quasi in novitiatu ordinis ecclesiastici vixerint.

Postulatur itaque ut hoc Seminariorum regimen approbetur, vel saltem nullo modo improbetur; improbatum utique videretur si nude praescripta Concilii Tridentini de Seminariis inculcarentur.

III.

De collatione ecclesiarum parochialium et succursalium.

1. Concursus ad Curas pastorales in Belgio sic ordinatur. Presbyteri in sacrum ministerium missi vel ad docendam adolescentiam deputati, singulis annis vel bienniis in Seminario congregantur et per examen in scriptis, quod quasi *Concursus* appellari potest, suum in doctrina sacra progressum probant. Examen illud seu *Concursus* per plurimos annos durat, et vi hujus nominantur concurrentes ad Curas pastorales quae vacaverint. Hinc sequitur Sacerdotes non tantum *semel*, ut Synodus Tridentina requirit, sed sexies aut etiam decies periculum

facere suae aptitudinis ad munus pastorale. Curae autem pastorales conferuntur attentis testimoniis parochorum et decanorum circa mores, pietatem, zelum et prudentiam Candidatorum, quae testimonia etiam per plures annos sunt repetenda; ita ut sit certitudo omnimoda meritorum promovendi, quod utique menti Synodi Tridentinae est quam maxime conforme.

Postulatur itaque ne quid in Decretis statuatur quo haec praxis impediatur; imo, ut videtur, haec disciplina non parum prodesset aliis dioecesibus.

2. Quoad Ecclesias succursales, postulatur ut decisio data a S. M. Gregorio XVI. Episcopo Leodiensi, circa parochos *succursalistas*, ut vocantur, conservetur et confirmetur. Disciplina haec, ab annis fere 70 vigens, fuit utilissima et etiamnunc est necessaria. Bonis et piis Sacerdotibus est perjucunda; paucis quandoque discolis odiosa quum magis attendere teneantur ne eorum vitia tandem aliquando per mutationem stationis vel depositionem puniantur.

IV.

De Synodo Dioecesana.

Synodus Dioecesana annue celebrari potest et utilissime celebratur in Belgio, dum apices juris non omnino servari debent, nec omnes debeant vocari qui curam habent animarum.

Postulatur igitur ut decreto de Synodo dioecesana haec addantur: In dioecesibus, in quibus usus invaluit vel induci potest ut Synodus Dioecesana quotannis celebretur ab Episcopo, vocatis Canonicis ecclesiae cathedralis, decanis christianitatum et examinatoribus synodalibus, haec agendi ratio servetur.

V.

De piis virorum ac foeminarum Institutis.

Praeter monasteria stricte dicta sunt in Belgio quasi innumerae piae tum virorum tum feminarum familiae quae bonis operibus occupantur, videlicet: educatione et instructione pueritiae et adolescentiae, cura senum, coecorum, surdorum, mutorum, insanientium, languidorum, morientium. Hae familiae Episcopo annuente et favente natae, ejus consiliis et vigilantia opus habent. Episcopus enim prae omnibus aliis novit earum necessitates et pericula, iisque auxilium fert opportunum et egregium. Tales domus deditae operibus zeli et charitatis sunt ducentae vel trecentae in quacumque Dioecesi Belgii, pros-

perantur et Deo, ut speramus, sunt gratissimae, Ecclesiae autem utilissimae. Passim reguntur juxta spiritum ss. Canonum in illis quae spectant ad novitiatum, separationem a profanis, spiritum paupertatis etc. Sed illas reducere ad apices juris et submittere Congregationi Romanae est impossibile.

Postulatur itaque: ut auctoritas Episcopi sit et maneat in omnia monasteria Fratrum laicorum et Sororum, ita quidem ut ad Episcopum recurratur pro omni administratione spirituali et temporali.

VI.

De Oratoriis privatis.

Postulatur ut Concilium potestatem faciat omnibus Ordinariis, concedendi privatis quibusdam personis, quas ipsi in Domino dignas judicaverint, oratorium domesticum in quo sacrosanctum Missae Sacrificium celebrari possit; imo, si adsint rationes sufficientes, SS. Eucharistia asservetur; *sub conditionibus tamen vel a Concilio vel a S. Sede praescribendis, et ad quas omnino teneantur Ordinarii.*

VII.

De Altaribus privilegiatis.

Obtineat Concilium a S. Sede, ab Episcopis concedi posse unum altare privilegiatum in qualibet ex suis ecclesiis collegiatis vel parochialibus et in quolibet ex suis Oratoriis vere publicis, idque vel in perpetuum vel ad tempus limitatum, sed ita tamen ut ea concessio ab Episcopis renovari semper possit quin ad S. Sedem recurrere teneantur. Si vero S. Sedes hanc facultatem sibi reservare omnino velit, obtineat Concilium ut in Brevi concessionis non occurrant clausulae tam ambiguae, ut inde videri possint revocata privilegia antea licet in perpetuum concessa.

VIII.

De facultatibus extraordinariis.

1. Postulatur ut facultates quae pluribus Ordinariis concedi solent a S. Sede, et vocantur vel Quinquennales vel Triennales vel Annales, adeoque singulis vel quinquenniis vel trienniis vel annis renovandae sunt ac semper renovantur, in posterum concedantur pro toto tempore quo Ecclesiae suae regimini praesunt illi quibus dantur.

2. Postulatur ut reliquae facultates extraordinariae, quae pro bono animarum a S. Sede Ordinariis conceduntur, in posterum non ad aliquot vices, sed ad tempus impertiantur.

IX.

De Sacramento Matrimonii.

I. Abrogare velit Concilium Vaticanum:

A. Quarti gradus sive aequalis sive inaequalis impedimentá tum consanguinitatis tum affinitatis ortae ex matrimonio.

B. Publicae honestatis ex sponsalibus tantum.

C. Cognationis spiritualis ex Baptismo, praeterquam inter levantem et levatum.

D. Secundi gradus sive aequalis sive inaequalis lineae collateralis affinitatis ex copula illicita, dummodo primus gradus non interveniat.

Motiva hujus postulati sunt:

1. Familias hodiedum ita quandoque dispergi, ut saepius in 4° gradu sese contingant nupturientes, quin vel aliquid de consanguinitate aut affinitate suspicietur. Hinc nonnumquam fit ut petatur dispensatio in 4° gradu, contracto jam matrimonio, et quidem bona fide, ac pluribus annis.

2. In locis exiguis revera quandoque ita omnes familias vel consanguinitate vel affinitate inter se ligari, ut vix fieri possit ibi matrimonia contrahi aliter quam inter personas 4° saltem gradu junctas.

3. Quod praecipuum est, et pro omnibus in hac materia postulatis valet, in regionibus ubi viget matrimonium civile, non dari civile v. g. impedimentum 3ⁱ vel 4ⁱ gradus. Ibi igitur, pro languescentis fidei vitio pronum est, ut spreta Dei et Ecclesiae lege, plures sub specie matrimonii civilis in turpi concubinatu vivant. Unde Postulati ratio.

II. Statuat Concilium in supplici libello ad obtinendam dispensationem S. Sedi oblato, non amplius exprimendum esse incestum ab oratoribus commissum inter se. Hujus Postulati motiva sunt:

1. In hodierno societatis statu saepe odiosum videri, si parochus de similibus inquirat; eo vel magis quod, juxta communem auctorum doctrinam, non teneantur oratores se infamare extra Confessionem.

2. Si autem illud peccatum detegatur in Confessione, quae saepius uno alterove tantum die Matrimonium praecedit, nescit ut plurimum quo se vertat Confessarius, probe sciens ex una parte dispensationem obtentam esse invalidam, et ex

altera parte deesse tempus quandoque ut obtineatur convalidatio ante Matrimonii celebrationem; quae forsan differri non poterit, quia v. g. mos est in loco ut eodem die et coram lege civili et coram Ecclesia contrahant, ac omnia parata sunt.

3. Quia, si numquam extra Confessionem de incestu interrogarentur nupturientes, plures ea de re non cogitarent eo nempe sensu ut de industria non committerent hoc crimen ad facilius obtinendam dispensationem; alii falso non allegarent copulam commissam fuisse, ut fit quandoque.

III. Statuat Concilium litteras dispensationis a S. Sede expeditas in posterum non amplius fore invalidas, sive ob reticitum incestum in precibus, aut patratum seu reiteratum post missas preces et ante dispensationis executionem; neque ob errorem nominis dioecesis vel nominis aut cognominis contrahentium, dummodo constet de personarum identitate; neque ob expressionem consanguinitatis loco affinitatis seu vice versa, dummodo gradus accurate exprimatur, aut saltem dummodo verus gradus non sit propinquior quam qui expressus fuit in supplica.

Prima hujus Postulati pars est consequens praecedentis. Utilitas reliquorum, quae inibi petuntur ad pericula animarum avertenda satis patet.

IV. Declaret Concilium validas in posterum fore litteras dispensationis a S. Sede expeditas, licet agentes vel amanuenses romani causis in libello supplici allegatis alias addant aut substituant, vel causarum circumstantias suo mode aliter exponant quam exponuntur in libello S. Sedi oblato.

V. Statuat Concilium omnia Brevia vel rescripta S. Sedis rem Matrimonialem spectantia, quorum executio commissa est Episcopo ejusve Vicario generali aut officiali, Sede per mortem hujus Episcopi vacante, a Vicario Capitulari executioni dari posse.

VI. Statuat Concilium Vicario Capitulari, Sede Vacante, concessas censeri omnes et singulas facultates peculiares et extraordinarias, quas in re Matrimoniali a S. Sede sibi impetraverat Episcopus defunctus, dummodo non expiraverit tempus ad quod concessae fuerunt.

VII. Coram Domino expendere velint Rmi Patres Concilii:

A. An non suppetat via qua, saltem pro Ordinariis hoc petentibus, abrogari valeat, quae vocari solet dispensationum taxa seu componenda, in pluribus regionibus nostri saeculi hominibus tam odiosa. Si autem hoc fieri nequeat, saltem adhibere velint Patres medium quo fieret ut qui pinguem solvunt taxam non citius obtineant dispensationem, quam qui parvam

aut nullam solvant; ita enim caderent injuriosa illa in Ecclesiam obloquia quae nonnumquam occasione similium audiuntur.

B. An in concedendis dispensationibus praecaveri non possit temporis dispendium, animarum saluti quandoque tam noxium. Tempus v. g. ita deperditur, quando ante dispensationis concessionem exigitur separatio unius vel duorum mensium, quo spatio elapso recurrere possunt oratores, quorum interim maxime interest pro animae suae salute, ut quamprimum jungantur. Idem obtinet quando e dicasteriis romanis respondetur: *negative*, vel *non afferri* vel *non expedire* in casibus in quibus sufficientes adsunt dispensandi rationes, et in quibus postea equidem fere semper altera vel tertia offertur supplica; ac demum conceditur dispensatio, dum interea temporis plura commissa fuerunt peccata imo nonnumquam in malo statu obfirmatum habent animum oratores, qui jam civiliter contraxerunt, ac forsan vocem parochi eos ad poenitentiam vocantis audire amplius nolunt.

C. An obtineri non possit ab illis qui in Curia romana dispensationibus concedendis operam dant, ut majorem aliquam habeant rationem motivorum quae in supplica allegantur ab Ordinariis, qui pro locorum et rerum adjunctis utique censendi sunt ut minus aliquatenus intelligere, quid necne fidelium bono spirituali expediat. Res illustrabitur exemplo. Magna quandoque cum difficultate obtinetur dispensatio in impedimento affinitatis primi gradus aequalis lineae collateralis orto ex legitimo matrimonio. Sunt tamen regiones, loca et circumstantiae in quibus ad spirituale et temporale oratorum bonum nihil magis quandoque optandum esset, quam ut v. g. viduus, praesertim si non sit dives, ducere possit defunctae uxoris sororem, aut vidua nubere queat fratri defuncti mariti. Dein nimia in ejusmodi adjunctis dispensandi difficultate, juxta thema supra expositum, nonnisi peccatis ansa praebetur.

D. An aequum non sit ut, deficiente copula carnali inter oratores, et periculo contractus civilis, tamquam motivum impellens ad dispensationem concedendam, admittatur instantia proprii Ordinarii.

Atque haec dicta sint, neminem carpendi intentione, sed animas salvandi et malevolorum oblocutiones impediendi desiderio.

V.

Expleto Concilio Vaticano, committere velit SSmus Dominus, viris in sacris Canonibus versatis, munus redigendi integrum complexum legum ecclesiasticarum, in novum codicem.

hodiernae praxi accommodatum, et in varios titulos, capita etc. pro materiarum varietate distributum.

Romae, 29. Januarii, in Festo S. Francisci Salesii, 1870.

Huic postulationi subscripserunt 5 Concilii Patres.

---

4. POSTULATA
ARCHIEPISCOPORUM ET EPISCOPORUM PROVINCIARUM QUEBECENSIS ET HALIFAXIENSIS.

Postulatum

ut totius juris ecclesiastici, curante Summo Pontifice, peracto Concilio Vaticano, fiat codificatio cum iis additionibus et mutationibus quae praesenti rerum statui utiliores et accommodatiores videbuntur.

Rationes postulati.

1. Facilior et communior evaderet cognitio hujus juris, quod nunc pene innumeris constitutionibus et canonibus constat.
2. Multa in desuetudinem abierunt, vel impossibilia facta sunt, vel in maximum Ecclesiae bonum mutari possunt.

Huic postulationi subscripserunt 13 Concilii Patres.

Postulatum

ut in Concilio Vaticano consideretur, utrum expediat in totius juris ecclesiastici codificatione totam legislationem de impedimentis Matrimonii ad trutinam revocare, ita ut eorum impedimentorum minuatur numerus, vel saltem augeatur potestas ordinaria episcoporum ab impedimentis dispensandi.

Rationes postulati.

1. Valde intricatae sunt leges de impedimentis et de dispensationibus, ut constat ex innumeris difficultatibus quae quotidie solvendae accurrunt tum Congregationibus Romanis, tum Ordinariis locorum.

2. Avertendum est frequens periculum nullitatis sacramenti.
3. Videntur abolenda impedimenta a quibus semper dispensatur.

Huic postulationi subscripserunt 12 Concilii Patres.

Postulatum

ut tollatur impedimentum cognationis legalis.

Ratio postulati.

Hoc impedimentum multis dubiis obnoxium videtur propter diversitatem legum civilium circa adoptionem; unde multi doctores nunc negant illud existere in praesenti rerum statu, in plerisque regionibus.

Huic postulationi subscripserunt 13 Concilii Patres.

Postulatum

ut e stylo Curiae, in dispensationibus consanguinitatis et affinitatis, tollatur obligatio declarandi incestum patratum.

Rationes postulati.

Haec obligatio quae nunc est sub poena nullitatis dispensationis, videtur

1. *Inutilis* quia non impedit incestum, nec illum punit. Tota poena incidit in miserum confessarium qui saepe maximis difficultatibus et anxietatibus implicatur;
2. *Nociva,* quia adest periculum infamiae et violationis sigilli sacramentalis, et insuper haec obligatio causa est nullitatis plurimorum matrimoniorum quorum rehabilitatio aliquando valde difficilis est.

Huic postulationi subscripserunt 13 Concilii Patres.

Postulatum

ut tollatur impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus *non solemnibus* proveniens.

Ratio postulati.

Hoc impedimentum, quando provenit ex sponsalibus non solemnibus, probationem saepe non admittit, unde jurgia, lites, nullitates matrimonii et scandala.

Huic postulationi subscripserunt 12 Concilii Patres.

Postulatum

ut tollatur impedimentum consanguinitatis et affinitatis in quarto gradu.

Rationes postulati.

1. Non sunt servanda impedimenta a quibus nunc semper dispensatur quotiescumque occurrunt.
2. Ex illis frequentius provenit nullitas matrimonii propter majorem difficultatem illa inveniendi.

Huic postulationi subscripserunt 13 Concilii Patres.

Postulatum

ut tollatur impedimentum affinitatis *ex illicita* in secundo gradu.

Rationes postulati.

1. Ab illo impedimento, quotiescumque occurrit, semper dispensatur, et non videtur conveniens ut statuatur lex quae non servetur.
2. Praeter periculum nullitatis Matrimonii, adest periculum infamiae et etiam revelationis sigilli sacramentalis.

Huic postulationi subscripserunt 12 Concilii Patres.

Postulatum

ut Breviarii Romani fiat nova dispositio in qua: 1. quantum fieri potest, ordinarie recitetur totum psalterium in hebdomada: 2. brevius sit officium iis diebus quibus parochi et confessarii

muneris sui officiis diutius detinentur, prout sunt vigiliae festorum, sabbata, dominicae praesertim adventus et quadragesimae.

Rationes postulati.

1. Juxta primitivam breviarii dispositionem, totum psalterium singulis hebdomadis recitabatur; nunc vero repetuntur fere semper iidem psalmi de communi sanctorum; hinc minuitur recitantium devotio, et amittitur fructus qui ex aliorum psalmorum recitatione hauriri posset.

2. Parochi et confessarii jam defatigati, non sunt nimio onere gravandi diebus supra expositis.

Huic postulationi subscripserunt 12 Concilii Patres.

---

5. POSTULATA

QUORUMDAM EPISCOPORUM ITALIAE CENTRALIS.

Episcopis Italiae centralis, qui sedent in Concilio Vaticano, et simul privatim consultant in bonum Ecclesiae et in praeparationem earum rerum, quae conciliariter peragendae et definiendae sunt, visum est fore ut conferret ovium sibi concreditarum regimini, si quae infra humiliter postulant a Sacrosancta Vaticana Synodo approbentur et decernantur. Ea tamen Summi Pontificis judicio prius expendenda subjiciunt, prout Bulla *Multiplices inter* sapienter disponit. Sunt autem quae sequuntur:

I. Ut sunt res Italiae, in qua lex lata est de *matrimonio*, ut ajunt, *civili*, quae valde turbat Ecclesiam, necesse est ut Episcopi expeditiores sint in exercitio sui ministerii, utque proinde ea removeantur, quae eorumdem actionem aut nimis lentam, aut gravem nimis reddant, ad amolienda scandala legalis concubinatus. Illi enim ex catholicis, qui sunt *gravi corde*, et *dura cervice* facile detrectant legem sanctissimam matrimonii christiani, nisi praesto sint, et quidem semper fere gratuito, dispensationes matrimoniales, quae ab Ecclesia rationabili de caussa concedi solent ab impedimentis juris ecclesiastici. Quare iidem Episcopi summo studio petunt:

A. Ut praedictae dispensationes communicentur maxima qua fieri potest et temporis et sumptus oeconomia, modificatis insuper quibusdam aut subobscuris aut duriusculis formulis.

B. Ut impedimentum quarti gradus seu consanguinitatis seu affinitatis, quod in tanta hominum commixtione frequentissimum est, et saepe a contrahentibus ipsis ignoratur, aut sero et fortuito deprehenditur, unde fit ut recursus ad Sanctam Sedem adeo multiplicentur, ut saepe impossibile sit scandala impediri, quae ex hac cunctatione oriri possunt, et reapse oriuntur; impedimentum, inquam, illud, auctoritate, qua pollet Ecclesia, e medio prorsus tollatur.

C. Ut impedimentum ex copula illicita coarctetur ad primum gradum.

D. Denique ut impedimenta e cognatione spirituali, quibus passim plurimi temere illigantur, qui patrinos agunt, praesertim in administratione Confirmationis, quin postea, quum opus est, hujusce ligaminis reminisci valeant, aboleantur.

II. Et quoniam facilitate contrahendi sponsalia saepe saepius quidam abutuntur, ex quo fit ut plurima matrimonia irrita evadant, ideo postulant, ut impedimentum publicae honestatis ex sponsalibus locum non habeat, nisi ex solemnibus, initis scilicet per syngrapham aut coram parocho sine testibus aut coram notario et testibus. Quae conditiones etiam pro impedimento sponsalium impediente requiri debeant. Possit autem Episcopus, ubi adsit mutuus consensus pro sponsalium dissolutione, dispensare ab impedimento, quod nihilominus perdurat.

III. Potestas quoque fiat Episcopis dispensandi sacerdotes chorales, qui inserviunt eis in visitatione pastorali, itemque Examinatores, dum sunt in officio, adeo ut, ad effectum distributionum choralium, perinde ac praesentes habeantur.

IV. Congruum quoque visum est ut quoad sanctimoniales foeminas concedantur Episcopis latiores facultates, quia ob quasdam restrictiones, quae ratione temporum factae sunt a Summis Pontificibus iis dispositionibus, quae habentur in Concilio Tridentino, non raro contingit ut iidem in angustiis conscientiae moleste versentur.

V. In Breviario autem eam solummodo recognitionem petunt, qua castigentur ea tantum loca, quae fortasse absunt a critica historica, et Homiliis Patrum in quibusdam festis selectiores aptioresque sufficiantur; praecipue autem vellent ut Psalterium Davidicum eo ordine digeratur, quo pluries quotannis recitari integre possit, quum in praesentiarum maxima Psalmorum pars vix aut ne vix quidem in officiis ordinariis recurrat.

VI. Ne studiosis scientiae canonicae iter nimis salebrosum peragendum sit, ob molem earum legum quae jam obsolevere, petunt ut Corpus Juris canonici quam diligentissime recognoscatur.

VII. Quoniam vero inter libros prohibitos ii qui per Litteras Apostolicas damnati sunt, censuram *speciali modo* reservatam Summo Pontifici legentibus inurunt, petunt Episcopi ut horum librorum, auctoritate Concilii, peculiaris et distinctus Index fiat.

VIII. Optandum est quod Episcopis in Synodis dioecesanis liceat, quoad reductiones Missarum, uti facultatibus a Tridentina Synodo concessis Sess. 25, Cap. 4 de Reform. etiam quoad fundationes posteriores eidem Concilio, abrogatis declarationibus et limitationibus usque modo apud nos vigentibus, attenta maxime temporum difficultate, et ut diligentiori cura intra praescriptum tempus piis oneribus satisfiat.

Pro praedictis Episcopis
† Henricus Episc. Pistorien. et Praten.

---

6. POSTULATA
EPISCOPI CONCORDIENSIS.

Infrascriptus Episcopus Concordiensis humiliter proponit:

1. Ut lex, qua Christi fideles diebus Sabbati carnes manducare prohibentur, abrogata declaretur, uti jam fuit in non paucis regionibus, excepto Quadragesimae et Adventus tempore, et hoc ob physicam hominum constitutionem, quae de die in diem magis debilitatur, et ad scandala vitanda, nam hoc Ecclesiae praeceptum vix observatur, et non pauci putantes pro omnibus factam esse concessionem, carnes sine conscientiae perturbatione manducant.

2. Ut Episcopis tribuatur potestas dispensandi super impedimentis matrimonii ortis ex tertio et quarto gradu consanguinitatis et affinitatis, et ex publica honestate; cum enim praesertim in oppidis nullum fere contrahi possit matrimonium quin opus sit ejusmodi dispensationibus, timendum est ne quis hisce miserrimis temporibus, in quibus fides et pietas refrigescunt, civile matrimonium contrahere malit, quam a S. Sede praedictas dispensationes petere, atque ut obtineat, pecuniam solvere.

3. Ut ad vitandas contentiones, rixas, inimicitias, quae facile oriuntur ex sponsalibus temere et clam celebratis, constituatur dehinc sponsalia quae facta non fuerint cum aliquibus solemnitatibus ex. gr. coram duobus testibus, ac monitis parentibus, esse invalida, atque cum solemnitatibus inita, fieri invalida si, quin renoventur, annus integer ex quo facta sunt transeat.

4. Cum his praesertim temporibus formatio processus regularis et canonici contra Parochos et Beneficiatos inamovibiles res sit periculi plena: ut tribuatur Episcopis facultas praedictos quovis beneficio expoliandi absque formali processu, quoties constiterit eosdem adeo gravia crimina perpetrasse, ut ab ipso Episcopo, auditis Judicibus, illud sine scandalo diutius retinere non posse existimetur; ita tamen ut beneficiario relinquatur jus appellandi ad S. Sedem.

5. Cum saepe contingat viros ecclesiasticos typis vulgare libros aut opuscula, vel articulos inserere in diariis ex quibus ignominiam captant, et scandala oriuntur; ut sub gravibus poenis prohibeantur quidpiam typis vulgare sine permissione *in scriptis* obtenta ab Ordinario.

6. Cum praesertim in Italia jam fere nullum reliquum sit beneficium simplex cujus titulo quis possit Sacros Ordines suscipere, ac pauci sint qui possint titulo patrimonii ordinari; providere oporteret ut dehinc Episcopi, eos inter Clericos patrimonio vel titulo destitutos, et Ecclesiae ministerio idoneos et necessarios, ordinare possint titulo *Servitutis Ecclesiae.*

Die 19. Februarii 1870.

† Nicolaus Episcopus Concordiensis.

---

7. POSTULATUM

ELECTIONEM VEL NOMINATIONEM EPISCOPORUM ATTINENS.

Maxime salutaria quidem Concilium Tridentinum, imprimis Sess. XXIV. cap. I. de Reform., quoad creationem seu electionem Episcoporum et Cardinalium praescripsit.

Experientia tamen teste constat, a pluribus principibus vel magistratibus, jus nominandi vel proponendi episcopos habentibus, in ejusmodi nominationibus longe minus ecclesiae utilitatem et animarum salutem, quam alia quaedam ob oculos haberi, quae fusius adumbrare necesse non est. Ex qua agendi ratione pericula maxima in ecclesiam Christi redundant, quae avertere vel saltem imminuere Oecumenicae hujus Synodi munus esse censemus. Ejusmodi synodalia constituta fortitudinem etiam augere poterunt, qua Apostolica Sedes nominationibus minus idoneis resistere debet.

Quum vero in indice schematum nihil de gravissima hac re inveniatur, humillime subscripti Patres instanter rogant et

flagitant, ut sacra haec Oecumenica Synodus principibus, magistratibus, capitulis, aliisque episcopos nominandi, proponendi vel eligendi jus habentibus, gravissimum Dei judicium in mentem reducat, provideatque, ut lex a Tridentino Concilio de electorum examine constituta, nunc eo severiori adhuc et strictiori modo ab omnibus observetur, quo evidentius ecclesiarum pericula creverunt; et ut simile examen etiam in aliis ecclesiasticis dignitatibus ab Apostolica Sede conferendis instituatur ad quas principes vel magistratus nominant aut proponunt.

Romae die 11. Martii 1870.

Huic postulationi subscripserunt 7 Concilii Patres.

---

8. POSTULATUM

UNIUS CONCILII PATRIS AD EANDEM REM PERTINENS.

Eminentissime Praeses!
Reverendissimi Patres!

Verba faciens in Congregatione Generali de schemate, quod de Episcopis propositum fuit, inter alia innui, quanti momenti sit negotium electionis Episcoporum, quum omnia remedia frustra adhibeantur, nisi ecclesiis boni pastores praeficiantur. Idcirco rogavi, ut in praefato schemate omnibus et singulis, quibus participatio aliqua in hujusmodi electionibus competit, strenuis verbis inculcetur tum gravitas hujus negotii tum gravitas delicti, quod committunt, qui suum officium hac ex parte negligenter aut male exercent. Attamen postulatum specificatum tunc non proposui. Nunc vero humiliter rogo Rm̃os Patres Deputationi pro rebus disciplinae adscriptos, ut dicto schemati primum caput decreti de Reformatione, quo Patres Tridentini in sess. XXIV. praescripserunt normam procedendi ad creationem Episcoporum et Cardinalium, integre inserere velint, ut omnia, quae Concilium Tridentinum hac de re tam salubriter statuit, a Synodo Vaticana confirmentur novoque pondere omnibus, quorum interest, injungantur.

Perfectissimae venerationis et obsequii sensibus me profiteor.

Romae die 9. Febr. 1870.

---

9. POSTULATUM

UNIUS CONCILII PATRIS AD PRIVILEGIA ET EXEMPTIONES SPECTANS.

Eminentissimi ac Reverendissimi DD. Cardinales et Reverendissimi Patres!

Privilegia et exemptiones, uti observat Tridentinum Concilium (Sess. XXIV. cap. XI. de Reformat.), perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitant, et exemptis vitae laxioris occasionem praebent. Hoc autem, teste experientia, evenit tum de singulis exemptis qui in aliqua dignitate constituti sua privilegia nunquam jactitare desinunt, providasque Episcopi curas parvipendere ac unitatis vincula infringere non verentur; tum etiam de Praelatis saecularibus qui territorium non habent, sed praesunt certo generi personarum quae sunt cuidam Ecclesiae addictae, et dum in Dioecesi commorantes sacerdotalia munia obire suamque operam in fidelium commodum navare solent, a vigilantia et correctione Episcopi se omnino subducere conantur, confugientes tamquam ad asylum sub alas protectionis praelatorum suorum, qui plerumque eorum partes assumere et contra Episcopum stare audent, non timentes scandala et spiritualia damna quae inde proveniunt. Uno verbo hujusmodi exemptiones amplius non sunt, ex hominum malitia, nisi occasiones collisionum et perturbationum quae valde obsunt Ecclesiae bono et animarum saluti; ac proinde opportuno remedio illis est providendum.

Romae, ex Coenobio S. Francisci ad Ripam Tiberis hac die 27. Decembris 1869.

10. POSTULATUM

ARCHIEPISCOPI MESSANENSIS, PRAELATURAM ARCHIMANDRITATUS MONASTERIO SS. SALVATORIS ORDINIS S. BASILII MESSANAE ADNEXAM ATTINENS.

Eminentissimi Domini, Patres Reverendissimi!

Nonnullae extant Dioeceses, quae intra aliarum ambitum continentur, et hae Episcopis aut Abbatibus Ordinariis, aut alius nominis Praelatis gubernandae concreditae. Dubitandum haud est graves fuisse ab initio rationes, ut hujusmodi privi-

legia concederentur, ex quibus caeterum nulla oriuntur mala, ubi Praesules, sicut passim accidit, aliis Ordinariis, intra quorum Dioecesium loca continentur eisdem concessa, non dissentiunt.

At non ita evenit in Sicilia, ubi est quaedam Praelatura *Archimandritatus* nomine, ac Monasterio SSmi Salvatoris Ordinis S. Basilii Messanae adnexa. Haec suam exercet jurisdictionem cum in nonnullis ejusdem Civitatis locis, tum in aliis terris Dioecesium Messanensis et Pactensis, Archimandrita quinquaginta abhinc annis non fuit electus; atque ideo Monachi per Vicarium Capitularem jus eisdem concessum exercuerunt.

Quae et quanta mala inde orta fuerint longum esset referre. Disciplina diversa, et diversae fuerunt leges inter loca finitima, ita ut populus sibi persuadere non valeret quomodo uno loco liceret quod in proximo nefas esset. Clerici, quibus merito ab Archiepiscopo Messanensi vel Pactensi Episcopo denegabatur ad sacros Ordines ascensus, facili ratione Archimandritatus Clero adscribebantur, et sic optata potiebantur meta. Presbyteri interdum, quibus ab Archiepiscopo Messanensi interdicebatur celebratio, in Ecclesiis Archimandritatus sacrum faciebant: nulla denique per tot annos sacra visitatio fuit per Vicarios Capitulares peracta, ac perinde loca eorundem jurisdictioni subjecta scandalis scatent. In praesens, Monasterio per gubernii legem suppresso, ipsum Capitulum est dissolutum.

Haec omnia quum Sanctam Sedem non laterent, pro pastorali, quam obtinet sollicitudine totius Orbis, pluries mentem suam aperuit de hujusmodi malis reparandis.

Nunc quum forsan abs re non sit, ut Concilium Oecumenicum Vaticanum aliquid attingat de nova Dioecesium circumscriptione, haec exponenda opportunum judicavi, ut tanto malo remedium afferatur.

Die 8. Februarii 1870.

Humillimus, et Omus Subditus
† Aloysius Archiepiscopus Messanensis.

11. POSTULATUM
EPISCOPI VICENTINI.

Postulatur ut tollatur obligatio transferendi Officia Sanctorum festo aliquo majori impedita, imposita tantum eorundem commemoratione in Officio et Missa majoris Festi.

Postulatur, ut post contractum matrimonium in facie Ecclesiae, si quod impedimentum juris humani detegatur, penes Episcopum sit ordinaria potestas illud tollendi et matrimonium convalidandi, excepto casu, quo utraque pars in fraudem contraxisset, et multo magis sit penes Episcopum ordinaria facultas dispensandi ad *petendum debitum* conjugale.

Postulatur ut per S. Sedem Apostolicam dirimatur quaestio inter Theologos agitata an Episcopus possit absolvere, sive per seipsum, sive per suum specialem Delegatum ab excommunicatione lata in Confessarium, qui complicem suum in peccato turpi absolvit, si casus sit occultus.

Postulatur, ut a S. Sede declaretur, an et quatenus vigeat adhuc obligatio gravissima imposita fidelibus per Constitutiones Pontificias denunciandi haereticos, de haeresi suspectos, blasphematores haereticales, Carbonarios et reliquos sectarios etc. superioribus ecclesiasticis, cum ob aerumnosas temporum nostrorum vicissitudines valde difficilis ac plerumque exiguae seu nullius utilitatis evaserit haec denunciatio.

† Joannes Antonius Farina
Episcopus Vicentinus.

12. PETITIO

UNIUS CONCILII PATRIS DE LEGE FERENDA IN SACERDOTES RARISSIME SACRAMENTALITER CONFITENTES.

Beatissime Pater!

Ex omnibus, quae ad puritatem sanctitatemque levitarum fovendam atque promovendam in ecclesia constituta sunt, nihil forsan aptius efficaciusque est, quam ut sacerdotes et clerici saepe pieque ad sanctum poenitentiae tribunal accedant. Quod enim catechismus Romanus de eo sacramento habet: „Omnibus fere piis persuasum esse, quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in ecclesia summo Dei beneficio conservatum sit, id magna ex parte confessioni tribuendum esse," multo magis sacerdotibus videtur esse dictum. Nam si frequenti confessioni illud proprium sit, ut a peccato avertat, vigilantiam foveat, fervorem augeat, humilitatem, omnium virtutum facile matrem, conservet, magis sacerdotibus hujus salutaris medicinae frequens usus necessarius est, quoniam ceteris

debent esse cautiores et sanctiores, quippe qui ad sancta sancte peragenda omni hora parati sint oportet omnibusque exemplum praebeant bonorum operum. Atque hinc ipsa mater ecclesia sacerdotes ad frequentem poenitentiae sacramenti usum invitat, cum in ipso sacrificii initio, antequam ad altare Dei introeant, eos humili confessione culpas suas plangere jubeat. Sed ipsa benigna mater confisa conscientiae filiorum suorum, quam speravit religiosam et timoratam fore, quum suo periculo teneantur, opus Dei non negligenter facere, eo contenta hucusque fuit, ut hortaretur eos verbo et exemplis, nulla vero lege generali frequentiorem usum sacramenti poenitentiae sanciret. Nam quae Concilium Lateranense IV. de annua confessione in canone „Omnis utriusque sexus“ statuit, et quae Concilium Tridentinum decrevit, ne quis gravis peccati sibi conscius ad sacram mensam accedat, non magis clericos urgent quam reliquos fideles. Sed si laicis hominibus sub anathematis periculo praecipitur, ut semel saltem in anno confiteantur peccata sua, et si minorum ordinum clerici monentur, ut singulis saltem mensibus poenitentiae sacramentum frequentent, eo quod in via sint ad sacros ordines (Conc. Trid. sess. 23. c. 13 et 18 de Ref.), multo magis congruit, ut sacerdotibus omnibus et maxime parochis lege praecipiatur, ut saepius confiteantur, quia illis ex Concilii Tridentini praecepto (sess. 23. c. 14. et sess. 22 decr. de observ. et evit. in celebr. missae) omnibus diebus Dominicis et festis, quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia et puritate munus incumbit immolandi Deo tremendum sacrificium.

Haec quidem considerantes saepissime Episcopi in synodis provincialibus et dioecesanis sacerdotes eadem de re monuerunt. Sunt enim, qui quoties sacrificium offerat sacerdos, cor poenitentia mundari voluerunt; sunt qui saltem quavis hebdomade vel quindenis diebus illud expostulant, denique, qui mitius agere videntur, singulis saltem mensibus hoc sacramentum a sacerdotibus percipi mandarunt.

Ast, ut mihi videtur, non sufficiunt haec decreta. Primo enim nescio, an talia ubique statuta sint, quum tamen causae illae gravissimae exigere videantur, ut generali lege ubique servanda clericis frequentior quam laicis confessio injungatur.

Nec praetereundum est, illa synodorum decreta haud raro non observari, quod et de nonnullis nostri temporis synodis compertum est.

Cujus rei si causa quaeratur, ex eo hoc evenisse puto, quod illa decreta non satis expresse dicant, leges et statuta de hac re ferri, quae conscientias obligant, non mera consilia presbyteris proponi. Nam cum in his decretis sanctio plerum-

que desit, non desunt, qui ut ipsi remissius agere possint, laxiorem in his sententiam sequantur, consilia haec opinantes non statuta. Atque eo etiam fortasse se tuentur, quod statuta illa nimis gravia praecipiant; sciunt enim omnes, eas leges, quae nimia expostulant, nunquam observari. Neque negari potest, saepius haec synodorum statuta plus exigere, quam executioni mandari possit. Cavendum ergo videtur, hac in re ne consilia cum legibus, suadenda cum mandandis confundantur.

Cum ex his causis contigerit, multis in dioecesibus statuta illa de frequenti sacerdotum confessione nec observari nec de ea vigilari vel rationem expostulari, hinc non raro fit, ut sacerdotes minus fervidi imprimis ii, qui ruri degentes non sine incommodis confessarium adire possunt, non solum de die in diem vel de hebdomade in hebdomadem, sed de mense in mensem confessionem differant, et quod maxime dolendum est, non desunt, qui si semel vel bis in anno confessi sunt, obligationi suae satisfecisse sibi gratulantur, et tamen fortasse quotidie agnum immaculatum contrectarunt et Dominum majestatis in cor introduxerunt. Vere hinc multi imbecilles et infirmi et dormiunt multi. Cum lex non instet, ut saepius se ostendant sacerdoti neque culpam neque negligentiam suam agnoscunt et tabescunt in tepiditate et languoribus suis.

Tanto malo ut occurratur, jam magnus ille et zelosissimus in Concilio Tridentino praesul Bracarensis Bartholomaeus a martyribus in petitionibus suis ad synodum Tridentinam quoad sacerdotes et sacramenta factis sub N. 2. hanc habet: „Sacerdotes aliquando compellendi ad celebrandum et ad singulis mensibus confitendum.“ Et inter postulata in Concilio Tridentino a nonnullis patribus anno 1562 N. 17. hoc habetur „Item videtur abusus, quod celebrantes quotidie, licet peccati mortalis sibi non sint conscii, non confiteantur saltem singulis Dominicis.“ (Cfr. Vitam venerabilis Bartholomaei de martyribus hoc anno a Joh. Thoma Ghilardi editam, p. II. petition. pag. 10 et 57.). Attamen inter tot negotia his petitionibus directe provisum non est, quod utique magnopere dolendum videtur, quum ob synodi oecumenicae de hac re silentium vel statuta provincialia dioecesanave condita non sint, vel multoties robur suum paullatim amiserint. Quam ob rem mihi liceat, Beatissime Pater, Tibi sacroque Concilio proponere:

I. Ut a synodo Vaticana non solum frequens confessio sacerdotibus commendetur et inculcetur, sed apertis verbis graviter prohibeatur, ne *ultra bimestre* eam differant, cui legi custodiendae invigilare obstringantur episcopi, quorum uti enim ex causa gravi legem remittere, ita illis etiam datum sit, negligentes et contumaces acriter corripere propositis poenis.

II. Quod si haec sacro Concilio minus convenire videantur, peto, ut saltem primo concilio Provinciali post praesentem synodum habendo committatur, ut definiat et statuat, quae in Domino in hac re magis expedire noverit, poenis ferendae sententiae propositis in eos, qui, legitima causa ab Episcopo cognita et approbata non excusati, confessionem sacramentalem ultra bimestre procrastinentur.

Denique, Beatissime Pater, Apostolicam Tuam benedictionem supplex imploro.

Romae 8. Martii 1870.

---

13. PROPOSITIO SIVE SCHEMA

QUOD PRO JUVANDA DISCIPLINA CLERI EXAMINI ET JUDICIO REVERENDISSIMORUM PATRUM CONGREGATIONIS DESIGNATAE REVERENTER EXPONIT EPISCOPUS ALBINGANEN.

Diuturna regiminis pastoralis experientia me edocuit, (quod forsan plures Ecclesiae Antistites se expertos fuisse fatebuntur), Sacerdotes qui ad titulum sui patrimonii, vel simplicis beneficii ordinantur, quique nullum assumunt munus, neque parochiale, neque scholasticum in Seminariis vel Collegiis, aut aliud quod eos habitualiter occupatos detineat, Ecclesiae et populo fideli paene inutiles, imo saepius noxios plures ex iis existere, utpote qui torpent otio, vel saecularibus curis ac negotiis implicati vitam agunt ecclesiastico statu indignam nec sine Ecclesiae ac Cleri dedecore, ac fidelium obmurmuratione et scandalo.

Haec Ecclesiae plaga non effugiebat Tridentinos Patres, qui ad eam avertendam provide sanciebant, ut nullus Clericus ad titulum sui patrimonii ordinari posset nisi ab Episcopo utilis suae Ecclesiae judicaretur.

Verum quam latam interpretationem haec saluberrima providentia passa sit, neminem vestrum latet: ac inde factum est hodiernis temporibus ut nullus Clericus ab ordinibus excludatur qui ad titulum patrimonii promoveri postulet.

Occasione itaque hujus Generalis Concilii cum Sanctitas Sua dignata sit indulgere *imo optare ac hortari*, ut qui inter Patres aliquid proponendum habuerit quod ad publicam utilitatem conferre posse existimet, *id libere exequi valeat;* sub-

scriptus, licet minimus Ven. Patrum Congregatorum se cognoscat ac sincere fateatur, nihilominus desiderio flagrans aliquod remedium memoratae plagae inferendi, sequentem propositionem sive schema quod saniori sapientium Patrum judicio examini et prudentiae omnino subjicere intendit, prout in Domino sibi videtur, exponit.

1. Episcopi in sua unusquisque Dioecesi quamprimum fieri poterit habita ratione circumstantiarum temporis, loci, ac mediorum quae unicuique Episcopo praesto erunt, erigi et aperire curabunt unam vel plures domos accommodatas ad excipiendos Sacerdotes de quibus infra, qui communem vitam sub certa regula in ea degere debebunt.

2. Sumptus pro iis domibus comparandis ac manutenendis necessarios providebunt Episcopi, vel taxas imponendo super beneficia pinguiora prout constituebat Tridentinum pro Seminariis erigendis, vel ex donationibus piarum personarum, aut eleemosynis fidelium, sive ex aliis fontibus juxta diversarum Dioecesium positionem ac circumstantias.

3. A publicatione hujus sacrosanctae Synodi Episcopi nullum clericum ordinabunt ad subdiaconatum titulo patrimonii Ecclesiastici vel simplicis beneficii, nisi ante Ordinationem promittat, ac etiam interposito juramento se obliget, statim ac ad Sacerdotium promotus fuerit, ad simplicem nutum proprii Episcopi praefatam domum communiter viventium Sacerdotum se ingressurum, ibique suum stabile domicilium electurum sub poena suspensionis a divinis si promissis non steterit, vel domum ingredi differat ultra tempus ipsi ab Ordinario praefinitum.

4. Convictum derelinquere atque ab eo se omnino separare fas erit Sacerdotibus, qui ad annum quinquagesimum suae aetatis pervenerint, ut infra notabitur, quin teneantur aliquam causam afferre pro suo recessu. Veniam tamen discedendi ab Ordinario petent, quam in aliquo casu raro, et ob peculiares causas alicui denegare poterit.

5. Ab hac domo definitive discedent Sacerdotes qui parochiale beneficium assument; item cum venia Ordinarii unus aut plures quos parochi ad munus Vicarii, seu coadjutoris sui ac secum conviventis assument; item qui ad munus magistri aut rectoris, aut oeconomi in Seminariis, vel Collegiis vocabuntur; nec non alii qui aliquod Ecclesiasticum vel publicae utilitatis officium sument, exigens habituale servitium quod cum vita communi praedictorum Sacerdotum conciliari facile haud possit.

6. Sacerdotibus qui causa valetudinis minus firmae vel assistentiae parentibus praestandae, vel ob id genus alias, do-

mum communiter viventium relinquere voluerint, non licebit, nisi obtenta licentia ab Apostolica Sede, prout fit a Regularibus.

7. Sacerdotes qui ad praefatum Convictum se conferunt, in manus Superioris ejusdem solvent singulis annis fructus sui patrimonii pro victualibus quibus fruuntur: qui si tenues sint, nec pertingant ad congruam portionem pro vitae sustentatione necessariam, supplere debebunt cum missarum eleemosynis, quas sibi procurabunt vel accipient a Rectore Convictus.

Si vero fructus patrimonii majores sint congrua portione supradicta; tunc pensionem tantummodo solvent ab Ordinario taxandam: reliquos vero fructus sibi reservare ac de iis pro lubitu disponere poterunt.

De modo vivendi in Convictu, de insubordinatis et contumacibus dimittendis, de vacationibus unicuique Sacerdoti per aliquod tempus concedendis, et de aliis minoris momenti agi poterit, si Reverendissimi Patres hoc schema admittendum esse judicabunt.

Utilitates quae ex hac domo in communi viventium Sacerdotum pro Ecclesiae bono expectari possunt, sunt plures, quae manifeste se offerunt.

1. Facilius in neo-sacerdotibus servabitur, imo et augebitur spiritus Ecclesiasticus ac pietatis fervor, quem recens ordinati prae se ferre solent, atque a periculis et occasionibus remoti morum integritatem custodient: inde zelus ad animarum salutem curandam, et ad paroecias concurrendum, utpote a saeculi distractionibus immunes.

2. Sacra studia, quae in Clericis ad sacerdotium promotis finem habere solent, in hac domo prosequentur neo-sacerdotes exemplo mutuo se excitantes et per conferentias quae in ea haberentur.

3. Episcopus ex iis Convictis facilius dignoscere possit quinam sint magis apti ad paroecias regendas et alia munia Ecclesiastica obeunda.

4. Si occurrat aliquem ex his Convictis divitem fieri, poterit Episcopus aliquem Clericum pauperem ordinare absque patrimonio, alendum a domo communiter viventium Sacerdotum usquedum beneficium aliquod assumat, vel aliunde provisus sit.

Fateor equidem propositi instituti executioni nonnullas se offerre difficultates ac obstacula, tum ratione temporum acerbitatis, tum ratione Cleri, qui in nostris praesertim provinciis quotidie imminui conspicitur, tum defectu mediorum ad illud erigendum et manutenendum. Attamen haec obstacula neque forsan in cunctis catholici Orbis Dioecesibus se offerunt: in aliquibus non ea sunt quae superari zelo et persistentia non possint: in caeteris autem sperari potest ut futuris temporibus,

Deo dante, desistant. His inquam perpensis, videretur quod, si propositum schema Ecclesiae utile ex sui ordinatione judicaretur, illud admitti posset in praxi adducendum in diversis Dioecesibus prout singuli Episcopi judicabunt de opportunitate id praestandi in propria Dioecesi.

Quibus ingenue et prout spiritus et Ecclesiae bonum suggerere videbantur expositis, reliquum est ut me measque propositiones RR. PP. saniori judicio libentissime subjiciam.

† Raphael Episcopus Albinganen.

APPENDIX.

Verum si supra enunciata propositio admittenda a Rmis Patribus non videretur, alteram subjicere auderem ut praefati Sacerdotes quibus repeti potest illud Evangelii: „Quid hic statis tota die otiosi?“ quique reponere possent: „nemo nos conduxit“ ad aliquod sacrum vel ecclesiasticum munus quod nos habitualiter occupatos detineat obeundum, ut inquam praefati Sacerdotes fidelibus utiliores evaderent, et vitam statui ecclesiastico magis consonam degerent.

Proponerem praescribendum sub gravi ut quotidie aliquod tempus, qui ad unam horam pertingeret, insumerent partim in recitatione precum vocalium ipsis assignandarum, partim in exercitio mentalis orationis, vel spiritualis lectionis; quod exercitium eos obligaret praeter consuetum onus Divini Officii.

Ab hoc novo onere eos ad tempus dispensare, facultas fieret Episcopis in casibus particularibus et ob legitimas causas pro eorum arbitrio et conscientia.

---

14. POSTULATUM

NOVAM REDACTIONEM JURIS CANONICI ATTINENS.

Ut Ecclesiasticae Leges in mores, in vitam, in instituta christianorum populorum suam cumulate exserant efficacitatem, nihil profecto accommodatius est nihilque opportunius, quam si sapienti ordine digestae in unum codicem colligantur, ad cujus normam sacrum jus et dicatur in foro et tradatur in scholis et in usus quotidianos religiose deducatur. Quod cum probe sentirent RR. Pontifices, nullo tempore commiserunt, ut ipsorum vigilantia et providentia in hac parte deesset. Huc sane spec-

tavit Innocentius III., huc Honorius III., quorum in curandis Decretalium collectionibus solertissimae curae praeclara adhuc monumenta suppetunt. Quem vero latet, de sacra jurisprudentia quam bene meruit Gregorius IX., cujus auspiciis, et ope, et auctoritate amplissimus Pontificii juris codex editus est? Neque minor habenda est gratia Bonifacio VIII., qui opus Gregorii uberrima atque in primis opportuna accessione ditavit, perfecit.

Sed hae providae curae Summorum Pontificum quamvis superiorum temporum commoditati plane satis fuerint, aliquid tamen aetate nostra desiderari patiuntur. Neque mirum cuiquam esse debet si parumper consideret, disciplinares leges variae temporum conditioni sic accommodari oportere, ut, labentibus annis, immutentur, novisque obvenientibus casibus augeantur. Quare plurimae RR. Pontificum Constitutiones decretaque Conciliorum in Corpus Juris Canonici nondum illata sunt, quae tamen dispersa non evagari diutius, cum judiciorum tum scientiae juris magnopere interest. Nam quamdiu in pluribus documentis, veluti disjecta corporis membra, sparsim circumferuntur, difficile est, qua late patet christianus orbis, rite a cunctis dignosci; et si dignoscantur, opus est exquisita admodum notitia circumstantiarum (quae est paucorum) ad declinandam rerum atque temporum in iis interpretandis confusionem.

Haec omnia mature cogitantibus subiit demisse atque enixe petere a SSmo D. N. PIO IX. ut adhibita opera atque ingenio virorum hujus temporis doctissimorum, novum Juris Canonici Codicem digerere et Apostolica Auctoritate munitum edere ne gravetur. Opus sane arduum: sed quo plus difficultatis habet, eo magis est tanto Pontifice dignum.

Huic postulationi, exhibitae die 19. Februarii 1870, subscripserunt 33 Concilii Patres.

---

15. POSTULATUM

AD MATRIMONIA MIXTA ATTINENS.

Eminentissimi et reverendissimi Patres!

Scholae mixtae et Conjugia mixta in manibus iniquorum hominum hac nostra tristissima aetate totidem sunt Martis in-

strumenta vel bellici arietes, quibus duce Spiritu nequam arcem religionis et Ecclesiae catholicae ubique terrarum conquassare, eamque in communitatibus et familiis labefactare atque diruere connituntur. Hoc loco de matrimoniis mixtis ago sub triplici eo conspectu, quem eorum *pericula*, *genera* et *remedia* exhibent.

I.

Pericula.

Pericula, quae ex mixtis matrimoniis catholicae Ecclesiae nascuntur, notissima sunt, et raro exemplo ejusmodi connubia conjugibus Dei benedictionem vitamque beatam conferre quotidiana experientia docet. Attamen hoc non impedit, quin sicut alibi ita etiam in Alemannica Helvetia ac praesertim in Dioecesi Sangallensi numerus mixtorum connubiorum inter Catholicos in dies magis accrescat: et non mirandum. Intra Dioecesis ejusdem fines 120,000 Protestantes circiter cum 130,000 Catholicis vivunt; qui omnes et singuli quotidiano socialis vitae commercio, unius ejusdemque reipublicae constitutione, magistratibus legibusque invicem satis arcte juncti sunt. Hinc inter homines utriusque sexus et Religionis consuetudines frequentes, multiplices peccandi in turpi occasiones, et urgentes nubendi rationes, quibus accedunt apud catholicos Sponsos Sponsasve levis de religione sensus, Indifferentismus, sacra auri fames, contrahens perniciosum tot mixtorum matrimoniorum exemplum et ab iis deprompta Conclusio: quod aliis licitum fuerit, singulo cuique non illicitum esse. Itaque catholici juvenes virginesve ad matrimonia mixta advolant, notis ab Ecclesia praescriptis conditionibus satisfacturos se promittunt, sed brevi familias plerumque constituunt, a catholica religione in dies magis dissentientes, quae quippe religionis officia ac pietatis exercitia negligunt liberosque suos in pestifera indifferentismi aura educant. Proinde ea mixta matrimonia et ex iis ortae familiae foecunda plerumque fiant necesse est Seminaria ejusmodi Catholicorum, qui nec fidem catholicam profitentur nec officia hominis catholici adimplent, sed infidelibus deteriores facti Ecclesiam acerrime infestant et eo efficacius eam perturbant, quod sub fictitio nomine inter veros Catholicos recensentur, tanquam morbida membra Corpori Ecclesiae adhaerent et non aforis sed ab intus ideoque funditus ordinem et pacem Ecclesiae confundere ipsis contingit. Praetermitto exponere tot animarum pro vita aeterna jacturam vix unquam satis deplorandam. Hinc facillime potest evinci per mixta matrimonia in iis regionibus, in quibus pari jure Catholici et protestantes

mixtim commorantur catholicam Ecclesiam magis magisque in dies labefactari, fidelium suorum numero et sua integritate et auctoritate diminui atque ad extinctionem verti oportere nisi divina Providentia admirabile quoddam ei subministret auxilium.

In Dioecesi Sangallensi ultimo transacto septem annorum spatio 530 amplius mixta matrimonia inita fuerunt utique praescripta Ecclesiae dispensatione provisa, sed praeter ea non exiguus adhuc numerus ejusmodi connubiorum, quae vel coram ministro Protestante acatholico ritu celebrata fuere, quia nupturientes nec praescriptas Ecclesiae conditiones implere, nec Ecclesiasticam dispensationem sibi acquirere volebant. Crescit cum numero malum quod e mixtis connubiis in Ecclesiasticum ordinem copiose dimanat, et difficile nimis est dictu, quaenam ad cohibendum malum congrue adhibenda sit medela, quoniam ingravescente morbo acerbius aequo aliquod remedium infirmo facile potest mortem parare: defectionem dicam multorum Catholicorum de Fide manifestam. Nil ex parte mea supersedi, quo malum et ex eo nascitura pericula arceam; Litteras pastorales, commonitoria, mandata saepenumero ad Clerum, populumque direxi, ut mixta matrimonia quomodocumque cohibeam et in solemni decreto matrimoniali, dominica prima Januarii quotannis in singulis parochialibus Ecclesiis a parochis ex ambone praelegendo contra ineunda matrimonia mixta congruas ac severas admonitiones edidi ostendens pericula quae exinde animabus, conjugibus, familiisque eorum nascuntur. Parochos quoque adhortatus sum, ut sedulo invigilent super familiis atque adolescentium utriusque sexus consuetudine, ne levitate animi vel seductione capti mixta connubia ineant. Interea folia dispensationis, ut nuncupantur, *vacua*, a Nuntiatura nobis retracta fuerunt, nosque coacti singulis vicibus et casibus pro dispensationibus ad Nuntiaturam *Lucernensem* recurrere, quod *nobis quidem laborem auxit*, *numerum* autem mixtorum matrimoniorum *nequaquam minuit.* Omnia igitur quae ad coercendum hocce malum usquedum tentavimus, vel exigua fruge vel prorsus incassum tentata fuere. Quod eo magis deplorandum quo certior idemque funestior pro Ecclesia catholica in istis regionibus fit rerum exitus. Omnia namque per mixtorum connubiorum accumulationem pedetentim in ecclesiastico ordine susque deque vertuntur, exoritur hominum generatio, qui nec catholici nec protestantes sunt nec ullam Religionem profitentur, perit in Catholicis cum fide catholica omnis pietas et filialis in matrem Ecclesiam amor; quinimo in oppositum i. e. in odium pervertitur.

II.

Genera mixtorum connubiorum.

Jam vero intueamur oportet diversa matrimoniorum horum genera, quo facilius quaedam remedia contra malum statuere nobis contingat.

1. Concluduntur apud nos (raro tamen exemplo) mixta matrimonia, quorum una alterave conjugum pars *impedimento ligaminis* obstricta est, sive vir acatholicus vivente adhuc sua uxore cum alia catholica libera matrimonium vel potius concubinatum adulterinum ineat, sive mulier acatholica, superstite adhuc suo primo marito, viro catholico nupserit. Ejusmodi conjuges coram ministro *acatholico* adulterii sui consortium plerumque ineunt, in jugi adulterio cohabitant, liberos suos vel sine religione vel in protestantismo educant. Quid ad comprimendum scandalum contra *catholicam* ejusmodi conjugiorum *partem* sive vir sive mulier sit catholici nominis, Ecclesiastica auctoritate decernendum et exequendum? Sane solemnis excommunicationis poena ejusmodi conjuges catholici mulctandi sunt. Sed diversa est Episcoporum in eo praxis, et uniformitas agendi perquam necessaria esset, ut contra contumaces ordo Ecclesiae servari possit.

2. Sunt etiam catholici sponsi utriusque sexus, qui mixta matrimonia ineunt sine *praevia dispensatione coram ministro protestantico* sub manifesto potestatis ecclesiasticae contemptu. Ejusmodi conjuges omnes ex matrimonio suo exorituras proles abs ministro *acatholico baptizari* et *in heterodoxa religione educari permittunt* vel curant; officia dein religionis cuique homini catholico sacra et Ecclesiae praescripta negligunt atque nec catholicos nec protestantes, sed omni religione extorres se esse verbis et factis profitentur. Attamen Apostatae isti Ecclesiae solemniter renuntiare nec volunt nec audent, quinimo si mors eis supervenerit, proximi cognati sepulturam et officia ecclesiastica pro mortuis vehementer expostulant, quod semper nonnisi provocato maximo scandalo odioque in Clerum et Ecclesiam ipsis denegatur. In Alemanica nostra Helvetia, in Sangallensi nimirum et Basileensi Dioecesibus, plura ejusmodi connubia passim existunt, sive maritus in iis sit catholicus et mulier acatholica sive viceversa. Et ob praecavendum maximum impiorum tumultum Episcopi hodiedum necdum ausi sunt ferre in catholicam ejusmodi matrimonii partem solemnem excommunicationis sententiam; quod si exequi deberet, ex S. hujus Vaticani Concilii Consultu speciale Decretum contra tales conjuges emittendum est atque Episcopis inculcandum, ut ubique

locorum ea et concordi censurae sententia contra nefarios eos et apostatas Conjuges procedant. Tunc facile fiet, ut quod ab omnibus Episcopis sancte servandum nova lege praescribitur, singulo Antistiti facilius ad exequendum reddatur et disparitate praxis sublata, quae hucusque intervenerit, minus cadat odii in singulum Episcopum, qui seorsim contra refractores legis poenam exequi tenetur.

3. Tertium porro mixtorum connubiorum genus conjuges complectitur, qui praevie conditionibus ab Ecclesia praescriptis fideliter stare se velle scripto promittunt scilicet de educanda utriusque sexus prole in fide catholica e. s. p., ideoque dispensationem ecclesiasticam pro ineundo mixto matrimonio impetrant et coram proprio suo parocho catholico matrimonium rite contrahunt; sed ecclesiastica Parochi benedictione semel suscepta *a promissis suis fraudulenter* et *impie recedunt*, liberos suos in *heterodoxa fide efformant* atque Ecclesiae auctoritati ejusque salutaribus praeceptis illudunt.

4. Majorem denique mixtorum connubiorum numerum ii conjuges constituunt, qui impetrata apostolica dispensatione coram proprio Parocho catholico rite matrimonii vinculo juncti fuerunt; suasque proles in religione catholica efformari curant. Sed educatio infantium in iis defectuosa admodum est et saluti eorum valde periculosa. Nam cum in iisdem matrimoniis conjux mater plerumque sit *acatholica*, cui primordialis utique liberorum instructio in precibus, devotionis exercitiis, in moribus christianis incumbit, in ejusmodi familiis neglecta sit necesse est precandi consuetudo, catholicae vitae ac religionis exercitium, quo fieri oportet ut liberi sicuti eorum parentes eodem sopore et fastidio fidei et religionis languescant. Proinde, quemadmodum per *Scholas mixtas* catholica juventus plerumque Religioni catholicae detrahitur et avellitur, ita per *matrimonia mixta* integrae familiae matri catholicae Ecclesiae abalienantur atque ad plenum Indifferentismum protrahuntur; per utrumque denique impietatis medium spiritus hujus saeculi nequam Ecclesiam in semetipsa dissolvere conatur.

III.

Remedia ad arcendum malum.

Urgens necessitas exposcere videtur, ut ex S. Concilii Vaticani consultu severiores universim in mixta matrimonia leges statuantur, sed difficillimum est, aptas salutaresque leges ad coercenda haec mala proponere, cum malum, de quo agitur, pravorum exemplorum multitudine, suffragante impio hujus aevi

genio, levi Catholicorum fide, adeo inoleverit, ut qui zizania colligere voluerit, facile eradicet simul cum eis et triticum (Matth. 13, 29.). Numquid igitur Ecclesiae expedit, ut crescere sinat utraque usque ad messem vel falce zizania evertat oportet? Quidquid sit, consultum videtur pro universali Ecclesia de mixtis matrimoniis certas statuere leges vel jam statutas solemniter innovare atque Episcopis serio inculcare, ut uniformi praxi ubique terrarum juxta leges ferendas et latas contra mixta matrimonia procedant. Nam si diversa praxis huc illuc ab Episcopis servetur, integrum odii pondus ex parte impiorum cadat in Episcopum necesse est, qui ecclesiasticas leges exequitur.

Quod si vero conjuges transgressores nuspiam aliqua Censura poenali feriuntur, ordo matrimonialis et Ecclesiae auctoritas ubique concussa pedetentim concidet. Nam scandala publica poenali ictu non amplius vindicata contagem vitiorum inter fideles dispergent, christianique matrimonii ordinem et sanctitatem diruent. Arceantur igitur de Ecclesiae sinu et rejiciantur a communione ejus falsi nominis Catholici conjuges, qui protervo vultu sapientissimas Ecclesiae leges et fidem catholicam de indissolubilitate et unitate matrimonii infringere audent; rescindantur haec putrida membra a reliquo corpore, ut una cum sanis membris corpus maneat integrum, salvum atque illaesum.

Quae cum ita sint statuendum esse opinor:

1. Omnes Episcopos novo matrimoniali Decreto a S. Concilio Vaticano proxime ferendo teneri publicam ac solemnem Excommunicationis Sententiam fere in conjuges praevaricatores sub num. 1. 2. et 3. supra commemoratos, quae Sententia semper a Parochis diebus dominicis vel festis e prono promulganda jubeatur in Ecclesia parochiali, ad quam conjuges rei per domicilium praesens pertinent.

2. *Facultatem dispensandi de impedimento disparitatis cultus Ordinariis locorum* esse remittendam, quorum conscientia oneranda est, ut nonnisi sub gravibus causis et urgente necessitate atque singulis vicibus nonnisi post *exactam causae recognitionem* judicio vel *Sententia in Consistorio lata* dispensationem de disparitate cultus vel concedere vel abnuere teneantur et utrumque gratis omnino. Ea procedendi ratione et forma servata numerus mixtorum matrimoniorum multum diminueretur.

Summo et perenni cultu permanere laetor

Romae 19. April. 1870.

† Carolus Joannes Greith, Ep. Sangallensis.

15ª. POSTULATUM

DE CONFORMITATE ET UNITATE IN RECITANDO HORAS CANONICAS AC CELEBRANDO MISSAM.

Identitas ac unitas Ecclesiae prorsus requirit identitatem ac unitatem fidei, dicente Apostolo „*Unus Deus, una fides.*“ Haec fidei et Ecclesiae unitas non profecto per se expetit identitatem ac materialem unitatem verborum in orando. Sed quam porro exoptandum foret, ut in unisona voce omnium Ecclesiasticorum per orbem, dum septies in diem laudem dicunt Deo, esset *unum cor, unum os, una et eadem praedicatio* (ut verbis utar S. Iren. lib. 1. cap. 10.)? et dum una est fides mentium et pietas actionum, una etiam foret supplicatio verborum? Ex eo procul dubio eveniret, quod confidentius, digniusque, ac, dicam, verius, respondere possemus objurgatoribus Ecclesiae Catholicae: „Catholici dicimur, quia corde credimus, ore confitemur, et ad salutem adprecamur *idem* quod universus mundus.“ Pervetustum est adagium in Ecclesia „Formam precandi designare formam credendi.“

Ad quem scopum obtinendum, non melius fortasse, in mei sententia, occurrere possumus, quam conformitatem unitatemque stabilire Horarum canonicarum in recitando Breviarium ac celebrando Missam; reformatum Breviarium ipsum, prout in votis est Episcopatus, ac etiam Concilium Tridentinum ordinaverat, proponere illud Clericis omnibus, cujuscumque ritus, cujuscumque professionis, etiam Regularibus, de praecepto recitandum. Oh! quam bonum et quam jucundum in Ecclesia Catholica, in ore omnium Ecclesiasticorum, eadem verba precationum, eosdem hymnos, eademque cantica, diversis linguis expressa, resonare!

Quid e contra evenire videmus? Quot sunt Dioeceses, et in ipsis Dioecesibus quot sunt Ordines regularium diversi, tot sunt varietates tum in recitando tum in celebrando. Duo vel plures inveniantur Clerici extra suam Dioecesim, qui recitare habeant ac celebrare, non possunt recitare simul quia diversum pro festo habent Sanctum, non possunt iisdem paramentis ejusdem coloris celebrare, quae cum officio non concordant. Et inde confusio.

Quapropter proponerem, in universa Ecclesia saltem Latina unum idemque officium omnibus Clericis, non exclusis Regularibus, in Breviario designari, et de eo teneri unumquemque recitare Horas canonicas, celebrareque Missam, non obstantibus privilegiis quae revocantur. Quoad Sanctos vero proprios Dioe-

cesium vel Ordinum Regularium, teneantur nonam lectionem recitare in matutino, in eoque et in Missa commemorationem facere, Missamque solam solemnem in die concedatur celebrari de proprio. Hoc votum, pro me, in Ecclesia esset explendum.

Veruntamen haec praetuli, non ut doctor, sed ut docibilis Ecclesiae filius, ac pro non dicto habeo, haberique volo, si fortasse non esset dicendum vel probandum.

Fr. Raphael Ricca Generalis Mĩnorum.

Dat. Romae ex Conv. S. Andreae de fractis hac die 30. Januarii 1870.

15^{b}. POSTULATUM

SANCTISSIMUM NOMEN JESU ATTINENS.

Venerabiles Patres!

„Ex quo elapsi aevi stultitia, philosophiae nomine tecta, sacrilego crocitu: *Detruisez l'infame*, SSmae JESU Christi Ecclesiae nefarium indixit bellum, facta est super nos indignatio Domini, qui exemit gladium irae suae, illum non dimissurus donec admirabile Nomen Unigeniti Filii sui omnimode clarificetur in nobis, donec formentur electi ejus, qui in frontibus suis ineffabile JESU Nomen et Nomen Patris ejus gestantes, Ipso Summo Dei Verbo dulce ac novum canticum depromant."

Jam ex tot annis, Venerabiles Patres, ego ita loquebar,[1]) quando ad repellendas procellas in Petri naviculam saevientes, nec non ad litteras et scientias, multimodis deturpatas stultitiis, expurgandas, ac nova luce novaque gloria honestandas, Academiam, Deo adjuvante, instituere aggrediebar sub ineffabilis Sanctissimique Nominis JESU praesidio firmissimo ac tutela. Ex tunc enim, Venerabiles Patres, etiam ex tunc in amaritudine cordis terram opertam videbam errorum omnium atque blasphemiarum colluvie, quae insaniente pelago ventisque saevientibus, etiam italam gentem in procellam tenebrarum

---

[1]) Servatur in Archiviis Sacrae Rituum Congregationis postulatio quam olim Auctor deferebat Domino Gregorio PP. Decimo Sexto pro nova Praefatione in Missa SS. Nominis JESU adprobanda: qua postulatione excipi petebatur SS. Nomen a generica norma a S. R. C. accepta novas praefationes ultro non concedendi.

obruere conabatur. Et jam temporibus hisce, adhuc gladio Domini exempto, procella illa tenebrarum advenit; ecce eheu quot hominum millia ipsa illidit miserrimeque contundit! Et quidem illam a longe aspiciens, cum adhuc essem in patria, et ibi cum adjutoribus meis in hac Academia in minimis Sacerdotio fungeremur, scientes depositum patriae catholicaeque fidei nobis sacerdotibus creditum, in gemitibus inenarrabilibus patuit cor nostrum ad Deum, et auxilium ejus enixe implorantes, iterum atque iterum ex tunc clamabamus: Domine salva nos, perimus! Et Deus adjuvit nos, locutusque est nobis; nos audivimus eum arcana verba per apostolum loquentem: Proposuit Deus in dispensatione plenitudinis temporum omnia instaurare quae in coelis et quae in terra sunt in JESU. Audivimus, et laetati sumus, et superabundavimus gaudio, et in Verbo Domini die ac nocte meditantes, in meditatione nostra ignis charitatis exarsit, scientes quod in Nomine JESU omnia instaurarentur. Tunc recordati sumus vocatum fuisse Nomen ejus JESUM, eo quod ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Et iterum: Non est in alio aliquo salus, nec aliud Nomen datum est hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Idcirco hilari promptoque animo adgressi fuimus praefatam Academiam instituere, per quam laus plena decoraque sanctissimo Nomini JESU totam per Italiam nostram reboaret. Non est mihi mens, Venerabiles Patres, nomina referre clarissimorum virorum, qui huic Academiae subscripserunt, quorum plurimi decus atque maxima gloria Religionis et patriae nostrae ad Episcopatum evecti, nunc in Nomine JESU nobiscum congregati, hanc sanctam Synodum decorant, et nos illorum subscriptiones accurate usque in hanc diem servavimus. Benedixitque Dominus humilibus obsequiis laboribusque nostris, et in annos undeviginti sub auspicatissimis praesidiis tum Pii PP. octavi, tum Gregorii PP. decimi sexti, tum alicujus ex clarioribus viris, quibus eam dicavimus, bene prospereque Academia nostra processit, perque eam repleta est terra nostra laude jucundissima Nominis JESU; at Nomen JESU in hac nostra Academia clarificatum clarificavit eamdem. Ipsa namque ab eodem sanctissimo Nomine, quod prae se ferebat erecta, a summis Pontificibus, a Neapolitanis Archiepiscopis, nec non ab utriusque Siciliae Rege adprobata per omnes Italiae civitates honorifice dilatabatur. Et ego gloriabar in Domino propter Sanctissimum JESU Nomen in Academia, et Academiam in Sanctissimo JESU Nomine tam mire clarificatam. Et ecce, Venerabiles Patres, post aliquot annos facta est super me Manus Domini tollens me e gremio fratrum et ponens Episcopum regere lectissimam partem Ecclesiae Dei quam acquisivit sanguine suo. Tunc e modio

sublatus humilitatis meae, et super Candelabrum positus ut mea lux coram dilectissimis in Christo filiis luceret, ante omnia curavi lucernam accendere in Camino ignis ardentis, in Lumine vero, in Nomine JESU, et facta est prima vox episcopalis mea ipsa, quae praedictae Academiae Tessera fuerat: *„Sciant gentes quia Nomen tibi JESUS.“*

Accedit, Venerabiles Patres, quod ex prima die institutionis Academiae nostrae ardens erat in cor nostrum desiderium ut in Missa Sanctissimi Nominis JESU nova atque propria, ad augendam ejusdem Admirabilis Nominis gloriam adderetur Praefatio. Et ecce, talia me cogitante, nova Praefatio ex corde meo prosiliit, et ex corde ad os saliens, laetus exultansque cantavi:

Vere dignum etc. — Sancte Pater, omnipotens aeterne Deus. Qui Unigenito Filio tuo in assumptae humanitatis veritate nobis nato, Sacratissimum JESU Nomen, quod est super omne nomen, aeterno consilio donasti. Ipse enim pio Cruore vetus nostrum detersit piaculum, et Crucis supplicio, morte triumphata, humanum genus perfecta filiorum adoptione e perpetua captivitate liberavit. Quapropter Nomini JESU sanctissimo coelestium, terrestrium et infernorum omne flectitur genu, et ad dexteram tuam verum Deum verumque hominem super omnia, quae per ipsum fecisti, JESUM regnare socia professione confitemur. Sed et supernae Virtutes atque angelicae Potestates in hoc unico salvationis Nomine gloriantes hymnum Majestati tuae concinunt sine fine dicentes.

Venerabiles Patres, Deus investigabilis in viis suis, et in judiciis incomprehensibilis atque sapientissimus, postulationes precesque nostras tum Pio PP. octavo per Eminentissimum Ruffo Scilla Neapolitanum Archiepiscopum, tum post temporis elapsum per successorem ejus Eminentissimum Caracciolo Gregorio PP. decimo sexto delatas, noluit ut nostram probaret constantiam cito exaudire. Sacra enim Rituum Congregatio statuerat, ultra in Missis novas praefationes non addere.

At nunc, Venerabiles Patres, levate oculos vestros; ecce quot percrebrescentia mala, quae minitantur penitus christianam et civilem societatem evertere! Ecce filii Belial exultantes quasi victores capta praeda, quando dividunt spolia, regionibus nostris olim Naviculae Petri addictissimis nova dogmata novasque doctrinas invexerunt! Ecce, horresco referens, impius Renanus sacrilege blasphemat, et illius blasphemiis socii ejus plaudunt, illasque repetunt, et granum fidei e cordibus fidelium evellere conantur. Luget Gallia, luget Italia Europaque luget, nam torrentes iniquitatis, corruptionis atque blasphemiae conturbaverunt Ecclesiam, totumque mundum in gurgitibus suis jam jam absorbent. Adhuc Manus Domini extenta, adhuc

gladius ejus evaginatur non reponetur, nisi Sanctissimum JESU Nomen mirifice fuerit clarificatum. Deus enim proposuit in dispensatione plenitudinis temporum omnia instaurare in JESU. Quapropter nuper adivimus sanctissimum invictissimumque Dominum Pium Papam nonum, qui inter omnes clarissimus extat praeco gloriarum sanctissimi Nominis, et Ipse clementer nobis indulsit ut de nova hac Praefatione cum Sancta Synodo agamus. Pensate, Venerabiles Patres, quanti referat admirabile Nomen novis praeconiis novisque laudibus celebrare. Impietatis fluctus tumentes omnino conantur sacrilego ausu hoc Augustissimum Nomen delere. Quod indicitur nefarium bellum Ecclesiae, dogmati Sacerdotio atque Petro conatus impietatis est, quae, arrepto gladio cupit, sublatis Religionis exercitibus, ad ipsam delendam ruere. At illa supra fidem innixa, in charitate vivens, sanctissimo Nomine JESU honestatur in fronte. Oh saecule nequam quamdiu finis turpitudinis tuae? Eja Venerabiles Patres, in Nomine JESU nos hic congregati, in sacris etiam Liturgiis hoc sanctissimum Nomen invocemus; adprobetur haec nova Praefatio, ut ubique terrarum et a solis ortu usque ad occasum JESU dulcissimum ac suavissimum Nomen resonet, et Nomen JESU, quod omnia dogmata in se totamque catholicam fidem complectitur erit inter missarum solemnia solemnis totius Evangelii professio. Idcirco novo lumine Religio nostra radiabit, claritas enim hujus sanctissimi nominis circumfulgebit eam; impietas videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet, desiderium peccatorum peribit, et in memoria aeterna erit Vaticana Synodus decorata Nomine JESU donec oblatio munda totum per terrarum orbem ad finem usque saeculorum fuerit oblata. Etiam, etiam sic. Veniat ergo in cor nostrum JESU, sic tandem vos alloquor cum divo Bernardo, veniat in cor nostrum JESUS, et inde saliat in os, et ecce ad exortum Nominis lumen nubilum omne diffugit redit serenum. O JESU, spes suspirantis Ecclesiae, o Nomen super omne Nomen!

Nostis, Venerabiles Patres, quod olim filii Chanaan cogitantes cogitationes nequitiae dixerunt ad invicem loquentes contra Dominum: Faciamus civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad coelum, celebremus nomen nostrum antequam dividamur in gentes. Si licet flagitiosas locutiones in verba vitae convertere sinite mihi praefatis verbis vos alloqui: Faciamus nobis civitatem et turrim, cujus culmen pertingat ad coelum. Sit Nomen JESU Civitas atque Turris nostra. Deus congregavit nos in hac Urbe Sancta ex omnibus etiam dissitis nationibus, ex omni gente, et populo et lingua, et posuit fecitque nos Deo nostro Regnum, ut evellamus, destruamus, evertamus, aedificemus, plantemus et in sanctissimo JESU Nomine

omnia instauremus. Eja, Venerabiles Patres, celebremus, antequam dividamur in gentes nostras, celebremus nomen nostrum. JESUS enim est sanctum Nomen nostrum, fundamentum, robur, virtus atque splendor noster, nam ipse dedit Semetipsum pro nobis. Clarificemus ergo in Missis cum nova hac Praefatione hoc admirabile Nomen. Quamobrem una mecum quaeso, o Ecclesiae Pastores, enixe ac unanimiter ad Primum atque Maximum pastorum omnium Sanctissimum Dominum Pium suppliciter clamate orantes ut dignetur ineffabile JESU Nomen, quod est super omne nomen, a generica norma excipere, qua sibi Sacra Rituum Congregatio praescripserat ultra novas non addendi concessiones novarum in missis praefationum. Adsit nobis efficax praesidium Sanctissimae Virginis Mariae in sua purissima Conceptione Immaculatae; Ipsa pia Virgo et Mater, totius Ecclesiae hisce diebus ab impiis labefactatae spes et tutela firmissima; Ipsa quae inter omnes protoparentis filios prima ineffabile JESU Nomen ab Angelo didicit, et vere factum est in cor ejus hoc sanctum Nomen Oleum effusum, quod totam mira dulcedine ejus replevit animam, ipsa dulcissima ac gratissima Mater novas huic Sanctissimo Nomini nunc rependat vices, ut quemadmodum in Nomine JESU dogmatum omnium Compendio, sexdecim abhinc annis a Pio Conceptionis Pontifice tam gloriose, in dogmatica definitione Immaculatae suae Conceptionis clarificata fuit, sic ipsa nunc praestet ut praedictum admirabile Nomen novo honore cum nova hac in missis Praefatione clarificetur. Sic postea ad oves nostras reversuri novas laudes Eidem Sanctissimo Nomini exultantibus animis concinemus. Fiat, fiat.

† Raphael Archiepiscopus Brundusin. A. P. Ostunen.

---

16. POSTULATUM

UT SANCTO JOSEPHO BEATAE MARIAE VIRGINIS SPONSO IN SACRA LITURGIA DEBITI HONORES DECERNANTUR.

Beatum Josephum, singulari Dei providentia, prae ceteris creaturis electum fuisse, ut Deiparae Virginis *Sponsus* et Verbi incarnati, non generatione quidem, sed charitate, adoptione, ac matrimonii jure, *Pater* esse mereretur, nemo unus ignorat. Adeo ut, nedum in sacris evangeliis atque ab ipsamet Beatissima

Virgine illum Christi *Patrem* passim nuncupari, sed et Dominum Nostrum Jesum Christum, in diebus Carnis suae, ei tamquam *Patri* humiliter subesse dignatum, legimus.

Infrascripti Sacrorum Antistites, haec serio perpendentes simulque probe noscentes magnum diu in Orbe exardescere desiderium ut *Sancti Joseph* publicus cultus, quantum par est, augeatur, enixis precibus orant atque obtestantur, ut Sacrosancta Oecumenica Synodus Vaticana, tot tantisque votis inclinata, pro sua auctoritate solemniter decernat:

1. Ut, quemadmodum *Beatus Joseph,* ceu *Pater* Christi, tanto melior creaturis omnibus effectus fuit, quanto differentius prae illis nomen haereditavit, sic ipsimet, per Sacrorum Rituum Congregationem, publicus duliae cultus in Ecclesia Catholica atque in Sacra Liturgia, post Beatam Dei Genitricem, prae omnibus caelitibus in posterum tribuatur;

2. Ut idem *Sanctus Joseph,* cui sacrae familiae tutela a Deo jam credita fuit, universae Ecclesiae Primarius, post Beatissimam Virginem, *Patronus* habeatur.

Huic postulationis formulae subscripserunt 153 Concilii Patres.

16a. POSTULATUM

AD EANDEM REM PERTINENS.

A Sacra Oecumenica Synodo Vaticana nos infrascripti, nostro et Regularium Familiarum, quibus praesumus, nomine humiliter et instanter efflagitamus ut, ad majorem Dei gloriam, SSmae Deiparae Virginis honorem, et omnium Christifidelium tutelam atque consolationem velit S. Patriarcham *Joseph*, Jesu Christi Domini Nostri nutritium Patrem, ejusdemque B. Mariae Virginis Sponsum, *Conciliari Constitutione, Universalis Ecclesiae eximium ac primarium Patronum* solemniter declarare, constituere atque decernere.

Permulta autem sunt rationum momenta, quae nos ad supplicem hunc libellum offerendum movent ac fere impellunt, quaeque nobis magnam spem ingerunt, fore, ut peramanter a Sacro Vaticano Concilio excipiatur; at ne nimium onerosi simus, potiora seligimus, atque cursim ea recensemus.

1. Itaque imprimis animadvertimus, cum non modo omnes christiani nominis civitates, omnesque Dioeceses, in quas distribuitur Sancta Dei Ecclesia, verum etiam omnes Christifidelium Nationes suum habeant coelestem patronum, quem solemniter colunt et venerantur, id magnum esse argumentum, cur et totus Dei populus omnesque oves pascuae ejus debeant alicujus inter Coelites patrocinio potissimum se committere, eumque magnis sollemniis communibusque gaudiis colere. Beatum vero *Josephum*, Beatae Mariae semper Virginis Sponsum, inter omnes Coelites eum esse, qui prae ceteris totius Ecclesiae Christi protector praecipuus sit renunciandus, ab eaque magnos sibi vindicet honores, nemo certe inficias ire potest.

2. Praeterea cum innumeri fere sint Christifideles, qui divino plane instinctu in ejus patrocinium sese jam contulerunt quique vehementissime optant, ut multus honor in Ecclesia universa eidem habeatur; nonne maxime convenire dicendum est, ut quem Deus *Justum* proclamando amplissimo honestavit praeconio, eundem universa Ecclesia magnis honestet honoribus?

3. Atque, cum Ecclesia et Christus, qui eam sibi acquisivit sanguine suo, *sint quasi una persona* (S. Thom. qq. dd. q. de gratia) nonne item convenit, ut ipsa Ecclesia in ejus peculiare quodammodo se committat patrocinium, quem Christus hic in terris nutritium habuit et custodem; ac demum ut eadem Ecclesia, quantaquanta est, ab eo magnopere postulet praesidium contra innumeras suorum hostium insidias, illudque se obtenturam confidat, qui puerum Jesum ab insidiis vaferrimi crudelisque Herodis ad necem Eum quaerentis incolumem servavit?

Ita profecto.

Si igitur hic supplex libellus noster, quem nomine etiam subditorum nostrorum sacro et auspicatissimo Oecumenico Concilio Vaticano offerimus, ita benigne excipiatur, ut *Conciliari Constitutione* decernatur, dehinc terque quaterque *Beatum Josephum*, Beatae Mariae semper Virginis Sponsum, ab universa Ecclesia solemniter honorandum et colendum esse tanquam omnium Christifidelium coelestem eximiumque *Patronum*, pro certo haberi potest magnam illam sanctamque laetitiam, quam nemo dubitat, quin idem Concilium suis Constitutionibus sit allaturum, cumulatissimam fore.

Huic postulationi, exhibitae die 9. Martii an. 1870, subscripserunt 43 Generales diversorum Ordinum.

16[b]. POSTULATUM

ALIORUM CONCILII PATRUM AD EANDEM REM PERTINENS.

Beatissime Pater!

Cum populi Christiani erga Sanctum Joseph devotio crescat in dies, miraque illius Sancti bonitas et potentia novis innumerisque beneficiis se quoque in dies prodant, et Ipsum universa Ecclesia ampliori cultu celebrari altioribusqne decorari honoribus ardenter optare videatur, infra scripti Vaticanae Synodi Patres, ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti, humillime efflagitant, ut qui a Domino constitutus est Unigeniti Filii sui custos, quique erga Jesum et Mariam Patris ac Sponsi officia fidissimo amore summaque diligentia indefesse adimplevit, Is etiam a Vestra Beatitudine eligatur ac declaretur universae Ecclesiae, quae corpus Christi est, Patronus atque Protector, et festum patrocinii ejus cum ritu primae classis et octava ubique et ab omnibus peragatur.

Interim pro seipsis et pro animabus sibi concreditis Benedictionem Apostolicam instanter postulant.

Beatitudinis Vestrae

Humillimi et devotissimi in Christo Filii.

Huic postulationi subscripserunt 118 Concilii Patres.

17. POSTULATUM

UT S. FRANCISCO SALESIO EPISCOPO GENEVENSI TITULUS DOCTORIS ECCLESIAE DECERNATUR.

Beatissime Pater!

Reverendissimis Patribus ad S. Oecumenicum Concilium Vaticanum coadunatis solatium sane in tantis laboribus et spem magnam afferunt uberrimi fructus quos ex Conciliis Oecumenicis, et in primis ex Concilii Tridentini definitionibus et Decretis norunt esse collectos.

Porro inter pastores et doctores a Concilio Tridentino suscitatos et quasi natos quos misit Deus „ad confortandas

manus dissolutas, et genua debilia roboranda, ad aperiendos oculos caecorum et aures surdorum",[1]) quis illico non meminerit S. Francisci Salesii, cujus laus est in Ecclesia sanctorum? Finitimis Genevae populis, haeresi calviniana infectis, sese fidei praeconem exhibens, quantumvis ad necem ab haereticis conquisitus, sanctitate vitae et doctrina septuaginta duo millia a via veritatis errantium ad Ecclesiae gremium revocavit; „ipsi viderunt gloriam Domini et decorem Dei nostri." [2])

Dein, adhuc vivens, non raris jam clarescere coepit miraculis, quae post illius mortem tot mox et tanta fuerunt, ut Apostolicis etiam legibus derogans, quo citius Ecclesiae votis et ejus sancti gloriae satisfieret, felicis memoriae Alexander VII. Francisci Salesii nomen in divorum albo solemniter inscripserit.

Nec minus scientia et doctrina quam vitae sanctitate sese informans, „quidquid temporis ab studio liberum sibi supererat, in prolixas preces transferebat".[3]) „Ex quo, ad maximam errantium utilitatem, coepit ex scripto, pluribus confectis libellis evulgatisque thesibus intime haeresim percellere." [4])

Post exactissimam horumce Salesii scriptorum, tum editorum tum non editorum discussionem, S. Congregatio admirans ea probavit.[5])

Spectant autem alia ad theologiam tum dogmaticam, tum apologeticam, tum asceticam, alia ad mores et ad disciplinam et in eo prodierunt ordine quem expostulabant tempus et Ecclesiae necessitates. Scripsit de Notis Ecclesiae, de Primatu Petri, de Sanctae Romanae Ecclesiae Sacramentis, de Unione haereticorum cum Ecclesia Romana. „Viretum in Eucharistiae sacramentum impie debachantem confutavit opusculo, cui titulus: *Meditationes in Symbolum Apostolorum.* Ejusdem blasphemias Bmae Virginis puritatem temerantes tum ore repressit tum calamo" [6]). Contra protestantes, S. Crucis latriam detestantes „eximiam aliam scripsit apologiam, cui titulus *Vexillum*

---

[1]) Isa. XXXV. [2]) Isa. XXXV, 2.

[3]) Phaebeo, S. Rit. Cong. Secret.

[4]) Bulla, Eccl. Cath. Canoniz. B. Francisci.

[5]) Patris de Chaugy, causae S. Francisci procurat. Epist. in qua legitur: on ordonna l'examen des oeuvres du serviteur de Dieu (S. François de Sales), singulièrement des manuscrits non encore imprimés, compulsés dans la 5 partie du procès, ce qui occupa incessamment jusqu'au 14 juin 1659, que la Sacrée Congregation prononça avec approbation et admiration, en faveur de oeuvres de serviteur de Dieu, par un très beau Décret, que Sa Sainteté confirma trois jours après.

[6]) Relat. a F. M. Phaebeo S. Rit. Congreg. secret. ad S. Cong. Card. et Consult. directa.

Crucis" [1]). Inter dogmatica et apologetica S. Francisci opera principem locum obtinet pervulgatissimus Liber Controversiarum, de quo vix quum prodiit, affirmare non dubitaverint non unus episcopus: „Athanasium, Ambrosium et Augustinum non majori cum ardore fidem vindicasse quam Franciscum Salesium." [2])

Non minorem sane gradum obtinent alii duo libri, doctrina simul et pietate fulgentes, videlicet *Tractatus de Amore Dei*, qui de tam altis tam alte loquitur; [3]) et *Philothea* sive Introductio ad vitam devotam, quae jam anno 1656 in septemdecim linguas, praeter gallicam, translata fuerat. [4])

Giarda, Episcopus Castrensis, Salii coaevus et biographus, [5]) asserere non dubitat Philotheam tot laudes mereri quot characteres continet. „Vix, inquit illustrissimus vir, qui vitam tum in castris quum in regiis palatiis egerat, vix apparere incepit Philothea, quum omnium aulae principum specie mutarunt . . . Tum visa est vera pietas; viam sibi stravit ad regum solia, in ducum exercituum tentoria; in judiciorum forum, in telonia, in negotiatorum officinas, et in pastorum oppidula." [6]) Subjungit alius, „se audivisse Rev. Patres Fichet, Manilien et Ludovicum de Serres e Societate Jesu, dicentes hoc esse opus a S. Spiritu dictatum, et dignum quod inter SS. Patrum opera connumeretur; et hoc etiam notum est et omnibus notorium. Dominus praeses Faber mihi dixit se ex DD. Cardinali de Berulle didicisse quod omnes Sorboniae Doctores publice declarassent istum librum ex aequo ire cum operibus S. Gregorii, S. Ambrosii et S. Augustini." [7])

Cum hisce doctissimis viris plane consentiunt et Emus Cardinalis Franciottus, [8]) cujus sensu praelaudata opera „Angelicam potius quam humanam redolent sapientiam" [9]) et Emus Cardinalis Sacchetius, S. Rit. Congreg. Praefectus, qui ait: „Vivit etiam (B. Salesius) in aureis et Seraphicis opusculis, ab eo editis, quae uberrimos in toto orbe fructus parturiunt. Philothea, sive Introductio ad veram pietatem, Epistolae spirituales, Tractatus de Amore Dei et reliquae elucubrationes seu mysticae, seu polemicae, in omnium pene nationum idioma

---

1) Relat. Card. Sacchetti in Consist. secret. 21. aug. 1662.

2) Epist. illmae Matris de Chaugy, Visitat. Superiorissae.

3) Qui liber typis mandatus anno 1616, dein innumeras habuit editiones, et illico in linguas Anglicam, Germanicam, hispanicam, polonicam et italicam versus transiit.

4) Gard, Deposit. in act. Canoniz.

5) Giarda, vita del B.

6) Marchion. Albert Geneven., Lullinensis Chaballicens. Gubernator. Deposit. Canoniz. part. remissor. 2. Vol. p. 753.

7) Deposit. Canonici Gard.

8) Causae Francisci pro Beatif. Relator. 9) Idem.

translata, omnium teruntur manibus, cum ingenti legentium emolumento. Nemo potest has paginas evolvere quin totus ardeat Dei et perfectionis amore; quisque enim in illis reperit apta suo statui monita et documenta, sive saeculo deditus ille sit, sive claustro, sive coelebs, sive conjugatus, seu princeps, seu privatus. Omnibus enim omnia factus omnibus profuit, omnium saluti consuluit." [1])

Silemus de operibus aliis, ut sunt aurea illius Monita ad parochos et ad confessarios, ut sunt innumerae quasi Epistolae tam doctrina quam dulcedine charitatis exuberantes. At illud silere non possumus quod in asceticis etiam scriptis unita splendet fidei et morum doctrina. Hic praecipuus est honor Salesio quod, dum totus esse videtur in cordibus spirituali suavitate perfundendis, ad doctrinam tamen attendit, et altas in ea pietatis radices demittit. Illius verbum est vitae semitis lumen, et est simul animae cibus. Qua mirabili numquamque satis laudanda norma et pietas firmo semper nititur fundamento, et doctrina, nedum sterilis videatur et arida, in uberrimos sese fructus explicat.

Quae cum ita sint, quid mirum in his Britanniae Parlamenti verbis ad Alexandrum VII? „ut omnia dicamus, Dei spiritus adeo clare apparet in ejus (Francisci) libris, ut sperare posset eumdem favorem ac magnus Ecclesiae Doctor, qui sancti nuncupationem obtinuit ex excellentia suorum scriptorum, quae miracula fuerunt ad ejus nomen immortale decorandum, et inter eos qui invocari debent inscribendum."

Praeclarissima haec apprime consonant Emorum Cardinalium votis coram Alexandro VII. prolatis, et hisce ipsorum effatis, quorum plura Sancti simul et Doctoris coronam clare postulare videntur.

„Unus profecto censendus est (B. Franciscus) quibus dictum legitur, Vos estis lux mundi." [2])

„Misit tamquam imbres eloquia sapientiae suae." [3])

„Habeat Ecclesia universa quod in B. Francisci virtutibus imitetur, quod doceatur in scriptis." [4])

„Tandem Sanctus declaretur ille per quem Sanctitatis consequendae ratio et ardor ad omnes cujusvis conditionis homines penetravit, ut sapientiam ejus enarrent populi, et laudem ejus enunciet Ecclesia".[5])

„Ut fidelium corda jugitur inflammaret nedum exemplo

---

[1]) Relat. in Consist. Secreto 1662.
[2]) Cardinalis Pallotus. [3]) Aldrobrandiuus.
[4]) Cardinalis Franciottus, Causae Relator.
[5]) Idem.

sed scripto, divinum plane modum excogitavit, et viam salutis ostendit." [1])

„Si virtutes praedicantium sunt ornamenta coelorum, profecto B. Franciscus de Sales splendere debet inter majora sidera in perpetuas aeternitates; ardens enim lucerna, imo lux mundi fuit, dum populis sibi commissis, errorum umbra caligantibus, cum exemplo, tum doctrina ad solis veritatem perduxit." [2])

Quid praeclarius hisce verbis et quid amplius expetendum? Si non adesset unum prae ceteris aliis supereminens testimonium, Alexandri nempe VII., qui quadraginta annis et amplius ejus scripta diurna et nocturna manu versavit,[3]) et enixe legenda commendabat incunctanter, asserens se in eis hausisse quidquid in ipso boni esse posset,[4]) et ad rectas vias Domini currendas Salesium protinus currum et aurigam praecipuum habuisse.[5])

Imo, quantum potuit, illius scripta propagavit[6]) et quaedam etiam propria manu in italicum sermonem transtulit. Constat ab ipso fuisse compositam orationem in officio S. Francisci propriam, in qua orandum decrevit: *ut ejus dirigentibus monitis* ac *suffragantibus meritis aeterna gaudia consequamur.* Item hoc de illo Breviarium romanum praedicat: „Suis etiam scriptis caelesti doctrina refèrtis Ecclesiam illustravit, quibus iter ad christianam perfectionem tutum et planum demonstrat." [7]) Videant alii num quis unquam in Ecclesia solemnioribus encomiis celebratus fuerit.

Sancti Francisci gloria, tot jam laudibus aucta, etiam temporibus nostris crescit eundo. Coram hoc dulcissimo et Veneratissimo nomine indomiti et hostiles animorum impetus minuuntur et sedantur; nec tot infensis saeculo nostro animis est nomen aliud magis acceptum ad ipsos catholicae doctrinae et vitae reconciliandos. Aurea ipsius scripta, nedum obsolescant, novis semper editionibus propagantur, non sine maximo certe profectu: nam errores quibus hodie societas conquassatur non sunt nisi eorum consectaria quos oppugnat sanctus Franciscus. Unde semper et sanctitate et operibus immortalis vivit.

---

1) Cardinalis Delcius.
2) Cardinalis Farnesius.
3) In Consistor. semi-publico, 20. oct. 1662.
4) Epist. ad nepotem.
5) Resp. Secret. Episc. in Consist. publ. 14. Sept. 1662. Scribens Sanctimonialibus Visitationis Annecii, doctrinam Francisci plane divinam proclamat. 27. jul. 1666.
6) Pallavicini, Stor. di Aless. VII, lib. I. Cap. V.
7) Sexta lectio in off. S. Francisci, 29. jan.

Quin imo consociatur etiam sancto Oecumenico Vaticano Concilio. Ipsi enim adest et sua doctrina, tamquam fonte ad hodiernos errores debellandos, et suo lenitatis charitatisque spiritu, et suis morum regulis, quae tanta sunt sapientia, ut centena et centena numerentur scripta quibus haud parvi nominis auctores omnibus eas statibus et conditionibus accommodare susceperint.

Quare, Beatissime Pater, Sanctitatem Vestram instantissime oramus et obtestamur ut inter Doctores in Ecclesia, cum officio et missa congruenti, Oraculo Suo Supremo, S. Franciscus Salesius adnumeretur. Qui honor non sine singulari divinae providentiae consilio, tempore Concilii Oecumenici Vaticani a Sanctitate Vestra, Concilii Auctore et Praeside, tribuendus illi superest. Quod enim ad tantam Ecclesiae gloriam docuit et fecit in tot haereticis ad ovile revocatis, et in moribus ac disciplina restituendis, hoc potissimum in Concilii Tridentini decretis hausit. Et cum haec eadem omnia in Concilio Vaticano Sanctitas Vestra restauranda Sibi et nobis proponat, et in his totus incumbat, novus honor qui ex S. Francisci Salesii sanctitate et doctrina in Concilium Tridentinum redundavit, erit etiam, titulo Doctoris Ecclesiae, oriundorum ex Concilio Vaticano bonorum pignus et benedictio.

18. POSTULATUM

UT OPIFICUM SOCIETAS „DER GESELLEN-VEREIN“ A S. CONCILIO VATICANO LAUDETUR ATQUE COMMENDETUR.

Inter varias pias societates, quae aevo moderno exortae florent, opificum societas „Der Gesellen-Verein“, quam Elberfeldiae in Archidioecesi Coloniensi anno 1846 erectam Adolphus Kolping p. m., antea ipse opifex et deinde ad sacerdotium promotus, maxima charitate, prudentia et solertia excoluit atque propagavit, singularem Ecclesiae Pastorum benevolentiam sibi vindicavit et revera meretur. Nam gravissimis in periculis, quibus praesenti tempore juniores opifices, sublatis jam omnibus fere auxiliis et tutelis, quae cum pristinis opificum ordinibus erant conjunctae, ubique terrarum circumdantur non tantum ex parte mundi perversi in genere, sed praesertim per illas falsissimas perniciosasque doctrinas, quae Socialismi nomine per omnes fere Europae partes tamquam novum terrenae

beatitudinis evangelium operariis et opificibus praedicantur et zelosissime propagantur. ista societas opificum maxime necessitati et miseriae opportunam medelam paravit. In ea enim juvenes opifices, qui hodie plerumque non prout priori tempore consuetum erat, in domo et familia ejus, in cujus officina operantur, degunt, sed in aliis domibus vel cauponis habitare coguntur, paternam quasi domum inveniunt in terra aliena et in ejusdem praeside sacerdote amicum paternum et consultorem. In eadem societate, quae tesseram sibi elegit vocem: „Ora et labora!" inveniunt scholam virtutis, religiosae institutionis atque omnigenae eruditionis, qua indiget opifex. In eadem post diei laborem confratrum sodalium laeto commercio et recreatione fruuntur gratissima remota ab omnibus, quae fidei orthodoxae et bonis moribus sunt contraria.

Sub patrocinio collocata S. Josephi, opificis illius sanctissimi, in cujus domo et officina Deus homo factus Ipse habitare et tamquam opifex operari dignatus est, haec societas celerrime non solum per totam archidioecesin Coloniensem, sed etiam per omnes Germaniae partes, ac dein per Ungariam, Helvetiam, immo ad Urbem Romam usque et Alexandriam, nec non et trans Oceanum ad remotissimas Americae regiones propagata est, adeo ut in praesentiarum plus quam 500 societates opificum inveniantur locales cum 80,000 sociis, quibus singulis praesunt praesides locales ab Ordinariis approbati, sub auspiciis et directione unius Praesidis generalis, qui Coloniae residet ab omnibus praesidibus electus.

Jam pluries Sanctissimus Pater, cui persuasum est de maxima hujus societatis necessitate, pro Sua benignitate et sapientia eandem eximiae benevolentiae signis certissimis honorare dignatus est tùm literis Apostolicis et indulgentiarum privilegiis in Societatis favorem concessis, tum donis ac honoribus, quibus ipsius praesides Sanctitas Sua donavit. Ex omni parte igitur dignum et justum nec non salutare esse censemus atque enixe postulamus, „ut Sacrum Concilium Vaticanum hanc societatem opificum rei christianae valde proficuam pro merito laudare atque commendare dignetur tamquam remedium et praesidium efficacissimum contra ingentia mala atque pericula, quae ex parte Socialismi perversi societati humanae et imprimis juvenibus opificibus fabrisque ubique imminere dignoscuntur."

Romae Calendis Martiis 1870.

Huic postulationi subscripserunt 30 Concilii Patres.

19. POSTULATUM

UT SOCIETAS SANCTI VINCENTII DE PAULA A SACRO CONCILIO VATICANO LAUDETUR ET COMMENDETUR.

Inter opera pietatis et charitatis christianae, quae aevo praesenti florent, praecipuum locum obtinet pia illa Societas, quae sub nomine Conferentiarum S. Vincentii primum Parisiis exorta ac dein celerrime per totum fere orbem Catholicum propagata viros juvenesque fideles inter se conjungit ad opera charitatis et misericordiae tam corporalis quam spiritualis omnigena viribus unitis peragenda ad exemplum et sub patrocinio S. Vincentii de Paula, magni illius Apostoli charitatis christianae, qua vivens aliquando universam patriam suam Galliam illustravit et adhuc superstes piis operibus a se institutis ubique terrarum Ecclesiam aedificat. Haec societas, quae spiritu vere catholico animata in operibus externis peragendis ante omnia animarum salutem promovendam sibi scopum proponit, operationi suae provinciam amplam fertilemque elegit, quum socii ipsi pauperes atque infirmos visitant atque consolantur, eorum indigentiis quoad corpus et animam providere satagunt, orphanos et senes in conservatoriis atque hospitiis collocant, pueros derelictos erudiri curant, junioribus opificibus suo patrocinio contra fidei et morum pericula praesidium praestant, bonos libros per familias distribuunt, matrimonia mere civilia ut revalidentur curam gerunt aliisque innumeris fere modis ad pauperum miseriam sublevandam et animarum salutem promovendam mirabiliter operantur nec non semetipsos per pia exercitia et bona exempla maxime invicem juvant.

Ista societas, quae bonum odorem Christi per socios suos eorumque opera ubique diffundit et sine dubio inter efficacissima remedia atque praesidia adnumerari meretur ad tuendam societatem humanam contra ingentia mala ac pericula, quibus moderno tempore ex parte socialismi perversi undique circumdatur, jamdudum Episcoporum nec non Summi Pontificis Sanctissimi Patris Pii PP. IX. feliciter regnantis, a quo largis indulgentiarum privilegiis ditata est, peculiarem animadvertentiam atque insignem benevolentiam sibi vindicavit. Quapropter oratores infrascripti congruum esse censent enixeque postulant,

ut Sacrum Concilium Vaticanum laudatam piam societatem S. Vincentii publice laudare atque fidelibus commendare dignetur.

Romae XII. Martii 1870.

Huic postulationi subscripserunt 30 Concilii Patres.

19ᵃ. POSTULATUM

UT SANCTI VINCENTII A PAULO ASSOCIATIONES, QUAE VULGO CONFERENTIAE DICUNTUR, A SACRO VATICANO CONCILIO LAUDENTUR AC COMMENDENTUR.

Romani Pontifices in docenda regendaque Ecclesia non ita curam exhauserunt, ut aliquando opera misericordiae fovere et commendare intermiserint. Ad eos enim pertinet zelum et pietatem promovere in sustentandis pauperibus et in catechizandis rudibus.

Ad haec vero charitatis tum spiritualis tum corporalis implenda officia, plures in decursu temporum prodiere societates, et in nostris temporibus maxime enituit pia haec sodalitas, quae, sub vulgato nomine *Conferentiarum Sancti Vincentii a Paulo,* omnibus non est aeque comprobata.

Haec autem societas, ex laicali ordine praesertim efformata, nobiliores civitatum et vicorum viros optimosque scholarum liberalium ephebos in sinu computat, lateque per universum terrarum orbem jam diffusa, uberiores fructus ubique protulit, quos hic enumerare superfluum esset. Vix exstat corporalis inopia quae ab eis non relevetur, aut animi afflictio quae non sit recreata. Isti enim pauperes saepe et regulariter visitant, eosque duplici panis et consolationis pabulo reficiunt, aegrotis opitulantur, iisque salutaria medicinae remedia subministrant; senes in hospitiis et orphanos in conservatoriis collocant; artifices et operarios erudiunt, junioresque ex eis qui in officinis tirocinantur suo patrocinio a pravis exemplis praeservant; optimos libros per domos et familias disseminant, et matrimonia mere civilia cohonestant; quo fit ut ex hac institutione miris in modis in rempublicam christianam bona dimanent, multique salventur qui sine hoc auxilio periissent.

His igitur piae sodalitatis meritis commoti, rem prorsus utilem reputaverunt infrascripti Patres si hanc publice sodalitatem laudaret atque commendaret praesens Oecumenica Synodus, et si magnus Noster Pontifex qui, tanto omnium bonorum plausu, navim Ecclesiae regit et gubernat, suo etiam praeconio decoraret et conciliari approbatione fulciret.

Et hoc enixe precantur oratores subscripti fausta omnia insuper exoptantes Reverendissimis Patribus, qui ad munus examinandi postulata deputati sunt.

Romae, die 30. Januarii 1870.

Huic postulationi subscripserunt octoginta Patres Concilii.

20. POSTULATUM
IN GRATIAM PIAE OPERAE A PROPAGATIONE FIDEI NUNCUPATAE.

Venerabiles Patres!

Varias inter et pias Operas, quae adprobante Apostolica Sede, et faventibus Episcopis, quotidianis ad Deum effusis precibus et collecta fidelium stipe, nostris Missionibus vires et auxilia suppeditant, ea facile primum obtinuit locum quae a Fidei Propagatione nuncupatur.

Ab ea enim fere omnes nos, quin ulla vel nationum vel personarum admittatur acceptio, id habemus quo olim S. Apostolus Paulus evangelicos operarios contentos fore declarabat: alimenta videlicet et quibus tegamur. Illius ope stabiliuntur et crescunt catholica illa instituta et misericordiae opera quibus Christus Dominus ante oculos populorum qui illum ignorant et errant eloquentissime praedicatur, quippe quae signa sunt quibus licet indigni, vero veri Dei discipuli demonstramur.

Faustam igitur et sacram occasionem nacti qua omnes e longinquis dissitisque orbis regionibus, ad pedes Supremi Pastoris convenimus, erga Piam hancce Operam, praecipuam omnium Missionum altricem et quasi parentem, gratissimi animi nostri sensus externare, in votis unanimiter habemus, simulque illam commendare tum Venerabilibus Praelatis qui in hac sacra Synodo sedent, tum praecipue illorum et totius Ecclesiae Capiti, Summo Pontifici Pio PP. IX., cujus paternam saepius jam experti sumus benevolentiam.

Eo autem magis Paterna illa benevolentia, vestraque, Venerabiles Patres, Operae Piae augendae et promovendae necessaria hodie est, quo pluribus jam abhinc annis eleemosynae quae in Propagandae Fidei gratiam ab illa colliguntur, nedum, ut antea fiebat, crescant, e contra vel eadem remanserunt, vel etiam ut praesenti accidit anno imminutionis subiere periculum.

Hinc fit quod, aucto Missionum numero, iis omnibus ut deceret fovendis ex una parte impar fiat Pia Propagationis Opera, dum ex altera immensam et majorem quotannis pecuniae summam, ad pervertendas aut potius sacrilege emendas animas, in multis e regionibus curae nostrae concreditis Protestantium sectarum pseudoministri disseminant.

Gravissimum igitur imminet Missionibus nostris periculum, quod ad avertendum oportet ut novus fidelibus ardor infun-

datur et, ita, antiquis repristinatis viribus, novo eoque continuo progressu Pia augeatur Opera.

Et ad hunc tam optabilem, tam utilem Christinani nominis per orbem totum dilationi finem procurandum, vel unicum sufficere Sanctae Sedis et Oecumenicae Synodi Vaticanae verbum confidimus.

Sacris his freti rationibus, Venerabiles Patres, suppliciter petimus ut *Inter Decreta quae de Missionibus catholicis Sanctae et Oecumenicae Synodo Vaticanae proponentur, unum adjiciatur quo Piae Operae a Propagatione Fidei nuncupatae, et solemnis ab Ecclesia consecratio et nova commendatio tribuatur.*

Minime enim dubitamus quin exinde vere catholicis Piae Operae Rectoribus animus addatur novus, et fidelium incitetur zelus ubi languescere forsitan visus est.

Quam gratiam dum a Vobis, Venerabiles Patres, et ab Oecumenica Synodo humiliter expostulamus, summa cum reverentia profiteri nos gloriamur

EE. et RR. Dom. Vest.

Hum. et Dev. in Domino Servos et Fratres.

Huic postulationi, exhibitae die 23. Januarii 1870, subscripserunt 110 Concilii Patres.

21. POSTULATUM

IN GRATIAM SCHOLARUM ORIENTALIUM.

Venerabiles Patres!

Praecipuas inter Christifidelium operas, quae tum precibus, tum eleemosynis, opem missionibus perutilem subministrant, illa quae Scholarum orientalium nomen prae se fert, et quae, approbante Sancta Sede Apostolica, et Episcopis faventibus, Latinis apud nos Missionariis magna, nobis autem quaedam auxilia suppeditavit, locum a pluribus abhinc annis obtinuit non immeritum.

His orientalium missionum Benefactoribus, nos animi sensus gratissimi testificari cupientes, piam illorum operam intimo cordis impulsu commendamus tum Patribus Venerandis, qui in hac Sacrosancta Synodo Oecumenica sedent, tum praesertim Episcoporum et totius Ecclesiae Capiti Summo Pontifici Pio PP. IX., cujus pretiosissimis benedictionibus haec Scholarum orientalium opera ortum debuit et incrementum.

Hinc cum vastissimos inter tractus spirituali nostro regimini concreditos Mahometani, protestantes, schismatici et societatum secretarum fautores nihil non relinquant inausum ad juventutem alliciendam et pervertendam, valde optandum est ut scholas omnimodas, orphanotrophia, Seminaria aliaque hujusmodi instituta majorem in numerum instaurare ac sustentare possimus, tum ad Catholicos juvenes juxta S. Religionis Catholicae principia educandos, tum ad idoneos operarios in Dominica vinea instuendos, tum etiam ad haereticos et schismaticos ad unitatis vinculum reducendos.

Ad hunc tam utilem scopum obtinendum, paterna Summi Pontificis benevolentia vestraque, Venerabiles Patres, hanc nostram non dedignetur exaudire postulationem, qua suppliciter petimus, ut

„Inter decreta, quae de missionibus Catholicis SS. Oecumenicae Synodo Vaticanae proponentur, unum adjiciatur, quo Piae Operae Scholarum Orientalium nuncupatae, et solemnis ab Ecclesia consecratio et nova commendatio tribuatur."

Confidimus enim fore ut exinde fidelium adaugeatur zelus et ampliora nobis Piae Operae suppeditentur subsidia ad colligendos parvulos, qui panem vitae et intellectus undequaque petentes, ne ullum quidem huc usque invenere magistrum, qui frangeret eis, quia auxiliis destituti fuimus sufficientibus.

Quapropter hanc spectatissimam gratiam a Vobis, Venerabiles Patres, et a SS. Oecumenica Synodo humiliter efflagitamus, summo cum venerationis affectu nos profitentes.

Huic postulationi subscripserunt 13 Concilii Patres.

21ª. POSTULATUM

IN GRATIAM PIAE OPERAE SCHOLARUM ORIENTALIUM NUNCUPATAE.

Venerabiles Patres!

Praecipuas inter Christifidelium operas quae, tum precibus, tum eleemosynis, opem nostris missionibus perutilem subministrant, illa quae Scholarum Orientalium nomen prae se fert locum a pluribus abhinc annis obtinuit non immeritum.

Haec est enim quae, approbante Sancta Sede apostolica et episcopis faventibus, multiplices apud nos sustentat operarios

et ministerii nostri Coadjutores, qui pueris alendis et juvenibus educandis sese impendunt ac devovent.

Inde fit ut, a finibus Austriaci Imperii usque ad Indos, ab Algeriensibus oris usque ad Abyssiniae recessus, innumeri juvenes et perplures puellae, sive monialium cura, sive sacerdotum et fratrum nostrorum magisterio, per saniores disciplinas informati, ad sensus erigantur illos quibus Ecclesiam catholicam et sanctam Romanam Sedem magis ac magis in dies diligant, et maximam profiteantur venerationem erga Pontificem Summum, cujus benignitate ac providentia orientales populi tot et tanta beneficia suscepere.

His nostrarum dioeceseon et missionum benefactoribus nos animi sensus gratissimi testificari cupientes, piam illorum operam intimo cordis impulsu commendamus tum Patribus venerandis qui in hac sacrosancta synodo oecumenica sedent, tum praesertim episcoporum et totius Ecclesiae Capiti Summo Pontifici Pio PP. IX., cujus pretiosissimis benedictionibus haec scholarum orientalium opera ortum debuit et incrementum.

Nunc autem, cum vastissimos inter tractus spirituali nostro regimini a Principe pastorum concreditos, Mahumetani, Protestantes, Schismatici et Societatum secretarum fautores nihil non relinquant inausum ad juventutem alliciendam et pervertendam, valde optandum est ut scholas omnimodas, orphanotrophia, Seminaria, aliaque hujusmodi instituta majorem in numerum instaurare ac sustentare possimus.

Ad hunc tam utilem scopum obtinendum, paterna Summi Pontificis benevolentia Vestraque, Venerabiles Patres, hanc nostram non dedignetur exaudire postulationem, qua suppliciter petimus, ut

„Inter decreta quae de missionibus catholicis Sacrosanctae Oecumenicae Synodo Vaticanae proponentur, unum adjiciatur, quo piae Operae Scholarum Orientalium nuncupatae et solemnis ab Ecclesia consecratio et nova commendatio tribuatur.“

Confidimus enim fore ut exinde fidelium adaugeatur zelus, et ampliora piae Operae suppeditentur subsidia ad colligendos parvulos, qui panem vitae et intellectus undequaque petentes, ne ullum quidem huc usque invenere magistrum qui frangeret eis.

Quapropter hanc spectatissimam gratiam a Vobis, Venerabiles Patres, et a sacrosancta Oecumenica Synodo humiliter efflagitamus, summo cum venerationis affectu nos profitentes.

Huic postulationi subscripserunt 61 Concilii Patres.

22. POSTULATUM
IN GRATIAM SODALITATIS SANCTAE INFANTIAE.

Beatissime Pater!

Nos infrascripti Missionum apud infideles Vicarii Apostolici Sanctitati Vestrae humillime exponimus quod Sodalitas Sanctae Infantiae, quae per fidelium infantium eleemosynas et preces, infidelium infantium salutem non solum animae sed et corporis procurare satagit, multa missionibus nostris, his praesertim proxime elapsis calamitatum temporibus, suppeditaverit subsidia, quibus non tantum innumeros infantes, sed et adultos non paucos Deo lucrifacere potuimus; charitatis enim spectaculum praedicationi vim addit et validissimum est apud infideles Christianae veritatis argumentum.

Porro triplici praesertim modo hoc salutis opus in missionibus exercemus: Primo per *circulatores*, ut dicimus, *Baptizatores* qui vicos et oppida perlustrantes medicamenta aegrotantibus infidelium infantibus gratis elargiuntur, et quos forte moribundos deprehendunt insciis parentibus baptizant; Secundo in civitatibus per *pharmacias* quorum medici Christiani remedia aegrotantibus infantibus pariter tribuunt et occurrentes moribundos baptizant; Tertio tandem per *Orphanotrophia* et *scholas* in quibus infantes infidelium derelicti colliguntur aut etiam pretio emuntur, et christiana doctrina imbuti optimas populo Christi familias superaddunt.

Liceat, Beatissime Pater, Sanctitati Vestrae exponere quod a quindecim nuper elapsis annis baptizati fuerint, opitulante Sanctae Infantiae Sodalitate, moribundi infidelium infantes 3,855,570, qui aeterna potiti gloria Deum pro suorum salute exorant; in Orphanotrophiis vero educati plus quam *centum millia* quorum superstites populi christiani numerum auxerunt et in dies augent. Ex recentiori vero Sodalitatis computo constat hujusmodi moribundos infantes annuatim baptizari 380,700; et in Ophanotrophiis educari 45,277.

Porro hi salutis fructus licet uberrimi possent, multiplicatis subsidiis, in Dei gloriam et animarum salutem multiplicari; innumeri enim jacent infidelium infantes qui quotidie a nobis panem vitae petunt, et non sufficiunt qui tot egentibus frangant. Suppliciter igitur deprecamur ut Sanctitas Vestra piam hanc Sanctae Infantiae Sodalitatem dignetur benedicere et Venerabilibus Fratribus nostris Sacrosancti Concilii Vaticani Patribus commendare, quatenus illorum ope et patrocinio tam

frugifera Sodalitas ubique constituatur et diffundatur, ut auctis christianorum puerorum eleemosynis majorem in dies parvulorum infidelium numerum et sacro baptismate abluere et per christianam educationem gregi Christi addere valeamus.

Interim ad pedes Sanctitatis Vestrae provoluti Apostolicam benedictionem pro omnibus dictae Sodalitatis moderatoribus, Sodalibus et benefactoribus, necnon pro nobis et populis curae nostrae concreditis humillime exposcimus.

Romae die 13. Februarii 1870.

Sanctitatis Vestrae
Devotissimi et amantissimi filii.

Huic postulationi subscripserunt 35 Concilii Patres.

PARS TERTIA.

DE REGULARIBUS.

SECTIO PRIMA.

SCHEMATA CONSTITUTIONUM, QUAE PERTINENT AD REGULARES.

---

1. SCHEMA

CONSTITUTIONIS DE REGULARIBUS PATRUM EXAMINI PROPOSITUM.

Dolendum vehementer est, malorum quorundam hominum nequitiam eo processisse, ut Religiosos ordines tamquam Institutiones jam inveteratas et obsoletas, nostroque aevo neutiquam accommodatas, sed potius noxias temere renunciarent; perinde ac si Evangelica Consilia a Christo Domino ad assequendam perfectionem tradita, quandoque essent societati obfutura: quodque deterius est, hi nunquam desinunt malis quibusque artibus in ipsos Ordines contemptum excitare ac fovere, quo facilius valeant ad eorum destructionem pervenire. Hinc Nos, sacro approbante Concilio, falsas ac malignas hujusmodi insinuationes artesque reprobantes, fideles omnes enixe in Domino exhortamur, ut non modo talibus abduci non patiantur doctrinis atque exemplis; verum etiam ut religiosis familiis tantopere de Ecclesia et de civili societate benemeritis, existimationis, devotionis et amoris signa constanter exhibeant.

Insuper inhaerentes vestigiis Nostrorum Praedecessorum omnibus inculcamus Ecclesiarum Praelatis, ut easdem Religiosas familias benevolo diligant affectu, paterna charitate tractent, modis omnibus adjuvent, foveant ac tueantur: omneque potissimum studium conferant ad veram animorum concordiam inter Clerum saecularem et regularem magis constabiliendam ac servandam, ut arctissimo inter se charitatis vinculo obstricti, conjunctis viribus agrum dominicum excolere, et praeliari

Christi praelia possint, atque Ecclesiae hostes profligare, qui omni conatu illam (si fieri posset) destruere commoliuntur.

Tandem Superiores Ordinum ac Regulares omnes graviter monemus, ut debita reverentia, obsequio et honore Episcopos prosequantur, nihilque eorum juribus detrahant, quin imo adjutricem eis operam in sacri Ministerii officiis obeundis juxta proprium institutum alacriter praestent, vota, quae in professione Deo nuncuparunt, fideliter reddant, regularem observantiam et disciplinam sedulo servent, seque religiosos non habitu tantum sed et virtute ac spiritu, quo sancti eorum Fundatores animati erant, ostendant, ut propriam sanctificationem assequi, et Ecclesiae utilitati, ac populis aedificationi esse possint.

2. SCHEMA

CONSTITUTIONIS SUPER VOTO OBEDIENTIAE.

Ea potissimum religiosae perfectionis est virtus, ut qui statum regularem amplectuntur, praeter temporalium bonorum renunciationem et castitatis professionem, abnegare semetipsos, ac perpetuum propriae voluntatis holocaustum Deo offerre teneantur. Nil igitur magis ad instaurandam servandamque regularem disciplinam conducit, quam accurata et fidelis religiosae obedientiae observatio; quandoquidem ipsa ceteras virtutes menti inserit, insertasque custodit.[1]) Magna quidem paupertas, sed major integritas; harum autem est obedientia maxima si custodiatur illaesa: nam prima rebus, secunda carni, tertia vero menti dominatur et animo.[2]) Hinc si obedientiae votum negligatur, Religiosorum corda veluti terra sine aqua, arescunt, nec ipsi amplius humilitate, oratione, meditatione delectantur; quin imo religiosae familiae compago disrumpitur.

Quapropter sacrosanctae Tridentinae Synodi decretis inhaerentes, quo facilius et securius regularis disciplina ubi collapsa sit instauretur, et constantius ubi conservata est perseveret, omnibus regularibus tam viris, quam mulieribus cujuscumque Religionis, Societatis, Congregationis, et Instituti sint, sacro approbante Concilio, praecipimus, ut ad regulae quam professi sunt praescriptum vitam instituant et componant, praecepta ac vota observent, perfectae praesertim obedientiae animo volenti mancipentur, crucifixum Christum Dominum in-

---

1) S. Gregorius lib. 35. Moral. cap. 10.
2) Joan. XXII. Extravag. „*Quorumdam*" I. de verb. signif.

tuentes, qui factus obediens usque ad mortem nedum nobis dedit hujus virtutis praeceptum; sed magnum quoque in se ipso, quod imitaremur, reliquit exemplum. Et quoniam omnis potestas a Deo est, regulares omnes in suis superioribus Deum ipsum agnoscant, ac meminerint non solum ordinationi Dei resistere, qui potestati resistit; verum etiam sese peculiari obligatione teneri vi voti, quod in religiosa professione emittenda Deo nuncupant. Quamobrem debita reverentia et amore suos omnes Superiores prosequantur, et quae ipsi juxta regulam injungunt, integre, prompte et humiliter sine ulla excusatione perficiant.

Eos insuper hortamur, ut ad assequendam hujus eximiae virtutis perfectionem, quae est quodammodo mater omnium custosque virtutum,[1] toto pectore incumbant; nec non a nequam hujus saeculi spiritu, qui est Crucis Christi, omnisque auctoritatis ac subjectionis inimicus, sibi maxime caveant, seque undique tueantur.

Tergiversationi nihilominus eorum, qui causas ad obedientiae jugum excutiendum interserunt, occurrere volentes declaramus atque statuimus, religiosorum recursus, qui fieri solent ad legitimam auctoritatem adversus obedientiae praeceptum a superioribus datum, haudquaquam obediendi obligationem suspendere; nec facile illorum habendam esse rationem, nisi prius religiosi, qui reclamaverint, superiorum mandatis paruerint. Si quis autem ad intercipienda Superiorum mandata confugere ad laicam, vel aliam, quae competens non sit, potestatem attentet, admonitum eum volumus, se graviter contra obedientiae votum facturum.

3. SCHEMA

CONSTITUTIONIS SUPER PERFECTA VITA COMMUNI.

Regularem observantiam ob id potissimum collabi dignoscitur, quod perfecta vita communis, quam sancti regularium Ordinum Institutores, suum veluti aedificium veteri Ecclesiae disciplinae superextructum voluerunt, et a suis sectatoribus servari mandarunt, penes plures religiosos Ordines in desuetudinem abierit. Ubi enim ab designato a sanctis viris perfectionis tramite deflecti contingat, paulatim a vero eorum

[1]) S. Aug. de civitate lib. 44. cap. 12.

spiritu, et a primaevo instituto cum magna disciplinae jactura desciscitur. Hinc licet ad gravissima removenda mala, quae ex hujusmodi communis vitae defectu promanant, Concilium Tridentinum,[1]) Clemens VIII.,[2]) Urbanus VIII.,[3]) Innocentius XI.,[4]) Innocentius XII.,[5]) aliique Pontifices praedecessores Nostri illam pro viribus instaurari curaverint, nihilominus non ubique eam servari in comperto est. Nos itaque rati nihil magis conferre ad Regularium reformationem reapse promovendam, quam ut in hoc Sacrosancto Oecumenico Concilio vitae perfectae communis obligatio gravissimis verbis denuncietur ac solemni sanctione muniatur, sacro approbante Concilio, quae sequuntur districte statuimus, decernimus, atque mandamus.

CAPUT I.

Nulla in posterum nova domus religiosa erigatur, vel etiam de jure vel de facto tantum suppressa restituatur sine expressa conditione ac lege in perpetuum servandae vitae perfectae communis, secus erectio, vel restitutio irrita omnino habeatur.

Quicumque in futurum professionem emittet, praecepto servandi vitam perfectam communem teneatur; ideoque ei qui admitti ad profitendum in quolibet Ordine, Congregatione, Societate et Instituto regulari postulaverit, priusquam tum domi recipiatur, tum habitu religioso induatur, dictum praeceptum expresse denuncietur, ita ut si huic se subjicere recusaverit, nullo modo in Religionem admittatur. Quilibet autem novitius in actu professionis tam votorum simplicium solemnibus praemittendorum, quam eorumdem votorum solemnium, observantiam perfectae vitae communis polliceatur: proptereaque in admissionis ac professionis actis peculiaris de praedictorum observantia adnotatio fieri debeat: super quibus omnibus superiorum ad quos spectat conscientia graviter onerata remaneat; ac si ea exequutioni iidem demandare omittant, eo ipso voce activa et passiva privati existant.

Insuper infra annum ab absoluto Concilio perfecta vita communis omnino constituatur in domibus novitiatus, professorii, ac studiorum, quatenus in eis introducta adhuc non reperiatur, vel etiam introducta non servetur: idipsum in domibus fiat, in quibus Superiores Generales vel Provinciales resident. Quod si Provinciales domum propriae residentiae non habeant, eam

---

[1]) Sess. 25. de regular. cap. 1. [2]) Constit. „*Nullus omnino.*“
[3]) Decret. de regul. apost. et eject. [4]) *Cum non alias.*
[5]) Decret. incip. *Sanctissimus.*

eligant, in qua vita perfecta communis servatur; sin minus Conventum Novitiatus. Etiam Definitores, seu Assistentes, vel Consiliarii tam Generales, quam Provinciales, in conventibus vitae perfectae communis morari debeant. Omnes religiosi etiam antea professi, qui in omnibus enunciatis domibus commorantur, eam omnino servare teneantur. Nemo proinde religiosorum ad Superioris Generalis munus, vel ad aliam ex majoribus quoquomodo nunçupatis sui Ordinis dignitatibus eligi valeat, nisi eamdem perfectam vitam communem profiteatur; et qui in praesens ad dictum munus, vel dignitates electi reperiuntur, nisi eam amplectantur, eo ipso muneri suo renunciasse intelligantur. Quae etiam servanda erunt quoad Superiores locales aliosque officiales in aliis omnibus conventibus, in quibus vita perfecta communis constabilietur.

Ceterum Superiores regulares in omni patientia et doctrina, qua exhortationibus, qua suasionibus, modis omnibus pro viribus curare debeant, ut omnes religiosi etiam jam professi vitam perfectam communem quamprimum amplectantur: qui vero renuerint, in separatis conventibus collocentur; hi tamen legi depositi in capsa communi obnoxii sint, nec pecunia uti valeant, nisi ad suos necessarios honestosque usus, praehabita expressa singulis vicibus superioris licentia: insuper nec vocem passivam habeant in electionibus et capitulis provincialibus; attamen eis permittitur, ut in eisdem provincialibus electionibus et Capitulis activam, quatenus ea gaudeant, exercere valeant; non tamen in iis, quae observantiam et disciplinam regularem respiciunt.

Praeterea expleto tyrocinio, Neo-professi non transferantur, nisi in aliam reformatam domum, ubi vigeat perfecta vita communis: quod si nulla alia domus reformata habeatur, in eodem novitiatus conventu permaneant: et si idem conventus ob ibi degentium religiosorum numerum, ad alios novitios recipiendos capax non sit, hoc ipso ulterior novitiorum acceptatio interdicta censeatur, donec occasio detur, ut Neo-professi in aliam perfectae vitae communis domum transferri commode valeant, et conventus novitiatus ad alios novitios recipiendos capax reddatur.

De reliquo cum vita perfecta communis in eo consistat, ut bona quaecumque, reditus, emolumenta, aliaque omnia, quae quovis titulo religiosis obveniant, in usum religiosae familiae plene conferantur, et ipsum victum, vestitum, aliaque necessaria a conventu in communi accipiant, superiores nihil quod sit necessarium religiosis denegent, et religiosi nihil quod sit superfluum exigant; ideoque superioribus charitas et sollicitudo, subditis vero religiosa moderatio enixe commendatur.

CAPUT II.

Ad vitae perfectae communis professionem etiam in Sanctimonialium Monasteriis constabiliendam, praeter ea quae in praecedenti capite pro religiosis viris allata sunt, peculiaris veluti ratio concurrit, periculum nempe aemulationum ac distractionum, quod in eis majus est, removendi. Sacro igitur approbante Concilio haec statuimus, decernimus atque praescribimus.

Nullum in posterum Sanctimonialium novum Monasterium erigatur, vel etiam de iure vel de facto tantum suppressum restituatur sine expressa conditione et lege in perpetuum servandae vitae perfectae communis; secus erectio vel restitutio irrita prorsus habeatur. Moniales, quae in praefatis monasteriis vota emittunt, praecepto ejusdem vitae communis servandae omnino teneantur. Postulantibus, quae Monasterium ingredi volunt ad effectum profitendi, praeceptum illius vitae denuncietur, quod denuo fieri debeat antequam monastico habitu induantur. Novitiae vero ante professionem vitam ipsam perfectam communem, si vota emittant in Monasterio, in quo ea vigeat, expresse polliceantur: si vero in monasterio, in quo nondum ea introducta sit, polliceri debeant, sese paratas esse ad eamdem amplectendam statim ac a superioribus introduci velit.

In Sanctimonialium monasteriis jam existentibus, in quibus vita communis perfecta non viget, Episcopi, vel alii superiores, quibus monasteria subjecta sunt, ad eam praescribendam prudenter se gerere debent, ne secus majora incommoda oriantur. Perpendant nimirum peculiaria rerum adjuncta, et si de illa introducenda in Domino agere judicaverint, non comminationes adhibeant, sed Moniales ad exoptatam disciplinae restaurationem paternis adhortationibus et spiritualibus exercitiis revocare curent. Audiant prius omnes et singulas, ut probe exploretur earum animus, ac certo deprehendatur, quae hujusmodi reformationi libenter acquiescant aut contra obluctentur, et quo in numero recenseantur illae, quae aetate aut auctoritate graviores habentur. Si major pars paratam ad reformationem se exhibeat, poterit Episcopus, vel alius superior, nisi aliter ei ob peculiares causas videatur, vitam communem perfectam introducere, tolerando ut renuentes in priori statu remaneant; ita tamen ut ipsae teneantur in capsam communem monasterii pecuniam inferre; nec ea uti possint, nisi ad suos necessarios honestosque usus, obtenta prius a superiorissa singulis vicibus licentia. E contra si major monialium pars reformationi obsistat, ad aliud opportunius tempus differenda res erit; vel saltem ad id temporis, quo Moniales, quae in professione vitam

perfectam communem pollicitae fuerint, majorem Communitatis partem constituere comperiantur.

Hoc modo introducta in aliquo Monasterio vita communi perfecta, si quas renuentes in eo superesse contingat, istae minime ad officium Superiorissae, Vicariae, Magistrae novitiarum, et Oeconomae eligi valeant; et si electae inveniantur, dictis officiis eo ipso renunciasse censeantur; quandoquidem ad ea nonnisi quae vitam perfectam communem observant, eligi poterunt. Sperandum tamen est Sanctimoniales perfectiorem vitam lubenti animo amplexuras fore, ut laxiorem vivendi rationem abnegantes, quae coelestis Sponsi sunt, unice quaerant.

Haec quoad Religiosos viros et Sanctimoniales volumus et mandamus; ideoque graviter praecipimus omnibus moderatoribus Generalibus, Provincialibus, Commissariis, Abbatibus, Prioribus, Rectoribus et Guardianis cujuscumque sint Ordinis, Societatis, Congregationis et Instituti, aliisque ad quos spectat, ut quae in hac nostra Constitutione decreta sunt, exequutioni plene committant, non obstantibus omnium et singulorum privilegiis et indultis sub quibuscumque formulis verborum conceptis, etiam in corpore juris clausis; nec non Constitutionibus, statutis, et regulis etiam juratis, et Apostolica auctoritate confirmatis, atque etiam consuetudinibus quamvis immemorabilibus, aliisque contrariis quibuscumque.

4. SCHEMA

CONSTITUTIONIS DE CLAUSURA.

Claustralis ob vitae custodiam, quae regulari observantiae est summopere necessaria, canonibus, sanctionibus et summorum Pontificum constitutionibus non modo clausurae lex religiosis domibus Regularium utriusque sexus indicta est, sed alia etiam sapientissime constituta, quae ad ipsius clausurae bonum et conservationem quamplurimum conferunt. Cautum namque est, ne Religiosi ex nimia ad claustra hominum frequentia, a solitudinis quiete cum magna temporis jactura, aliorum admiratione, ac periculo transgrediendi regulam exturbentur: nec non eis vetitum, ne ex suis Conventibus absque superioris venia et sine socio egrediantur. Sanctimonialibus quoque consultum est, ut ob crebros extranearum personarum ad crates accessus haud temere occasioni a recto perfectionis tramite declinandi se objiciant; verendum cum sit, ne ex familiaribus cum hujus-

modi personis collocutionibus mundano ipsae pulvere conspergantur. Quamobrem cum ea, quae ad electam dominici gregis partem custodiendam salubriter constituta sunt, ab omnibus, ut par est, ubique servari, et omnes abusiones e medio auferri oporteat, sacro approbante Concilio, decernimus atque mandamus:

CAPUT I.

In quibuscumque regularium virorum domibus, conventibus et monasteriis clausura servetur, juxta sacros canones et Apostolicas constitutiones atque sanctiones;[1]) ita ut earumdem domorum, conventuum et monasteriorum septa et sacra claustra foeminae quaelibet cujuscumque generis aut conditionis ingredi, aut in ea, etiamsi infantilis aetatis sint, recipi nullo modo possint sub censuris et poenis contra violantes clausuram inflictis, quovis hac de re ablato discrimine, an aliquo, vel etiam nullo privilegiorum praetextu ingressus obtingat; ac non obstante quovis privilegio, et quacumque etiam longi temporis contraria consuetudine. Quapropter districte mandamus Generalibus, Provincialibus, Abbatibus, Visitatoribus, aliisque ad quos spectat, ut clausura ubi extat diligenter servetur, et ubi obliterata aut neglecta inveniatur, omnino instauretur.

CAPUT II.

Nullus e conventu egredi audeat nisi justa ex causa, licentiaque singulis vicibus impetrata, ac benedictione a superiore accepta; nec non cum socio, excepto tamen quoad obligationem cum socio egrediendi casu necessitatis Superioris localis judicio comprobandae. Superior vero egrediendi veniam, nisi prius de justa causa sibi constiterit, non concedat, sociumque e claustro exituro adjungere non omittat. Licentiae generales exeundi nulli amplius concedantur, et praemissis omnibus contravenientes congrua poena plectantur. Quisque ad conventum sub vesperam revertatur, ac denuo Superiorem adeat benedictionem recepturus. Provideant etiam Superiores, ne Religiosi in saecularium consuetudinem se insinuent; et tam in claustris quam extra ita conversatione, gestu, habitu et incessu se gerant, ut qui ex adverso sunt vereantur nihil habentes malum dicere de eis, et christifideles ab ipsis ubique aedificationem accipiant. Quapropter quominus saeculares absque justa causa religiosas

---

[1]) *Cap. Pervenit.* 20. caus. 18. *quaest.* 1., S. Pius V. Const. *Decet Romanum Pontificem,* Gregor. XIII. Const. incipiens *Ubi gratiae,* et Bened. XIV. Const. *Regularis disciplinae.*

domos frequentent impediant, ne regularis familiae tranquillitas et silentium turbetur, et spiritus observantiae, quo Ordinum regularium alumni animati esse debent, tepescat, paulatimque extinguatur. Quibus super omnibus Superiorum, ac ipsorum Religiosorum conscientia onerata remaneat.

CAPUT III.

Quae in superiori capite secundo constituta sunt, ad Instituta quoque virorum, in quibus vota tantum simplicia emittuntur, extendimus, ac servari volumus. Ad clausuram autem quod attinet, licet hujusmodi Instituta communi jure non ei subjiciantur; attamen in aliquibus utiliter introducta est. Mandamus igitur etiam quoad haec virorum Instituta, ut ubi clausura viget sive ex speciali S. Sedis dispositione, sive vi constitutionum, sive usu, sedulo servetur. Pro aliis vero, in quibus nondum statuta reperitur, facultatem impertimur Moderatoribus Generalibus, sive per se, sive per alios Superiores ab ipsis deputandos, clausuram in proprii Instituti ab Apostolica Sede approbati domibus constituendi. Hac autem facultate uti debent, nisi aliqua gravis causa peculiaris aliter suadeat: quo in casu aliis efficacibus modis provideant, ne ex mulierum accessu pericula et scandala oriantur.

CAPUT IV.

Inhaerentes Constitutioni Bonifacii VIII., decreto Concilii Tridentini, et sanctionibus Summorum Pontificum praedecessorum nostrorum,[1] graviter praecipimus Episcopis, ut in omnibus monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Apostolicae Sedis auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui; et ubi inviolata manet, conservari maxime procurent: ita ut non solum Moniales egredi e monasteriis nequeant, verum etiam nemo cujuscumque generis, conditionis, aut sexus in ea ingredi, vel cujuscumque aetatis etiam infantilis admitti possit sub censuris et poenis contra violantes clausuram comminatis; non obstante quavis etiam longi temporis consuetudine; exceptis tamen casibus a jure permissis, in quibus serventur de jure servanda; et salvis indultis ab Apostolica Sede obtentis, praesertim quoad externas puellarum scholas.

---

[1]) Bonifac. VIII. in cap. *Periculoso* 4. *de statu Regul. in* 6., Concil. Trid. *cap.* 5. *sess.* 25. *de Regular.*, S. Pius V. Constit. *Circa pastoralis*, et Const. *Decori et honestati*, Gregor. XIII. Const. *Deo sacris* et Const. *Dubiis*, Alexander VII. Const. *Felici*, et Bened. XIV. Const. *Salutari*, et in alia *Per binas*.

CAPUT V.

Provideant Episcopi, aliique superiores ad quos spectat, ut abusus evellantur, si qui in Sanctimonialium monasteriis irrepserint circa accessus ad ostia et ad crates, ac circa collocutiones cum extraneis personis, quibus fervor earumdem Sanctimonialium remittitur, mundanis animus cogitationibus imbuitur, disciplinae et observantiae regularis studium imminuitur, non sine periculo, sanctae vocationis spiritum amittendi. Verum ad id prius hortationibus et commonitionibus procedant; ac deinde si opus fuerit, etiam poenarum coercitionem adhibeant. Circa vero collocutiones Religiosorum cum monialibus ea serventur, quae a summis Pontificibus praedecessoribus nostris praescripta inveniuntur.

CAPUT VI.

Quamvis nec ipsa Instituta, in quibus Sorores vota tantum simplicia emittunt, ex jure communi clausurae, legi obnoxia sint, inculcamus tamen locorum Antistitibus, ut, si illorum alumnae nulla officia exteriora exerceant, Episcopalem clausuram in eorumdem Institutorum domibus suae dioecesis, perpensis cujusque domus peculiaribus adjunctis, imponere satagant; atque ut domos Institutorum, quorum praecipuus finis est alicujus externi muneris exercitium, clausurae pariter Episcopali, consideratis omnibus circumstantiis, non quoad Sororum egressum, sed dumtaxat quoad extranearum personarum ingressum, prout in Domino expedire judicaverint, subjicere curent. Ceterum hisce Sororibus ita consulant, ut cum egrediantur semper cum socia procedant, debitasque cautelas adhibeant, ne mundi periculis se exponant, ac in se concitent populi admirationem.

Haec volumus atque mandamus, consuetudinibus etiam longi temporis, aliisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

SECTIO SECUNDA.

POSTULATA, QUAE PERTINENT AD REGULARES.

---

1. EXPOSITIO

CONGREGATIONIS HELVETO-BENEDICTINAE CIRCA DECRETUM GENERALE DE RECEPTIONE NOVITIORUM AC PROFESSIONE VOTORUM SIMPLICIUM, A. S. CONGREGATIONE SUPER STATU REGULARIUM DIE 19. MARTII EMISSUM.

Emi ac Rmi D. D. Cardinales et Rmi Patres!

Paterna cura et benevolentia, qua Sanctitas Sua, Pius PP. IX., inde ab initio religiosos Ordines amplecti dignata est, Ipsam promovit, generali Decreto, per S. Congregationem super statu Regularium d. 19. Martii 1857 edito, modum profitendi, ad illud usque tempus antiquis Ordinibus religiosis usitatum, immutare ac statuere, ut deinceps in cunctis ordinibus religiosis, vota solemnia nuncupantibus, exacto novitiatu vota simplicia tantum emittantur, et demum post triennium ab emissione votorum simplicium religiosi ad professionem votorum solemnium admittantur.

Congregatio helveto-benedictina nullo quidem momento saluberrimum laudati decreti finem ignoravit, illudque, qua decuit, filiali submissione suscepit. Verum eandem congregationem jam ab exordio haud latuit, quantae et quam singulares prorsus difficultates executioni illius decreti saltem in Helvetia obstaturae forent. Quamobrem praeses ejusdem Congregationis helveto-benedictinae literis, jam 20. Oct. 1857 ad S. Congrega-

tionem super statu Regularium datis, difficultates ac detrimenta novae legis pro monasteriis dictae Congregationis helveto-benedictinae large fideliterque exposuit, earumque intuitu ad laudatam S. Congregationem super statu Regularium devotam petitionem direxit, ut monasteriis congregationis helveto-benedictinae in consueto profitendi more persistere liceret, adeoque a nova lege observanda saltem quoad illos, qui ad S. Ordines suscipiantur, dispensatio benigne concederetur.

Sacra vero Congregatio super statu Regularium sub die 30. Novembris 1857 respondit, Sanctitatem suam petitioni haud annuendum existimasse, eo quod lex de professione votorum simplicium omnes ordines regulares cujusvis regionis respiciat, et decretum statutumque sit, nullam hac in re exceptionem admittere. Ut autem ejusdem legis executio facilior evadat, Sanctitas Sua Congregationem helveto-benedictinam ab observantia decreti die 25. Januarii 1848 a S. Congregatione super statu Regularium emissi (de scrutiniis videlicet agendis in admissione postulantium ad habitum, novitiatum et professionem) exemptam declaravit ac insuper benigne indulsit, ut professi votorum simplicium ejusdem Congregationis helveto-benedictinae omnibus privilegiis, gratiis et indultis gaudeant, quibus professi votorum solemnium legitime fruuntur, ac tandem ad triennium concessit, ut professi votorum simplicium ad instar professorum votorum solemnium prima Tonsura insigniri, atque ad singulos etiam sacros et Presbyteratus ordines, servatis de jure servandis promoveri possint, ea tamen lege, ut, si ab ordine dimittantur, a celebratione S. Missae sacrificii suspensi remaneant, donec de congruo patrimonio ad praescriptum SS. Canonum provideatur.

Verum benigna hac concessione difficultates novae legis nullatenus remotae sunt; insuper experientia, quam per decennium nobis facere obtigit, novam de emissione votorum simplicium legem religioso Ordini nostro in detrimentum potius quam in salutem cedere ostendit. Quare Congregatio helveto-benedictina oblata occasione, qua in SS. Concilio Vaticano de reformatione quoque Regularium sermo erit, denuo difficultates novae profitendi legis pro monasteriis ejusdem Congregationis omni qua decet reverentia et submissione exponendas simulque modum agendi in suscipiendis erudiendisque religionis candidatis proponendum censuit, quo illae difficultates, ut ipsa sperat, praecaveantur, quin tamen intentio illa paterna, qua SS. Pater ad legem novam condendam inductus est, effectu suo salutari frustretur.

Quod igitur ad difficultates, nec non detrimenta attinet, quae ex nova profitendi lege monasteriis O. S. B. in Helvetia

et, prout compertum habetur, fere ubique in Germania imminent, his praesentibus ea tantum exponuntur, quae praecipue commemoranda esse videbantur.

Jam primo non parvam difficultatem executio novae legis ingerit in relatione ad rempublicam civilem. Haec enim vota simplicia non ubique ut talia considerat, quibus voventes monasterio cuidam incorporentur, in Helvetia vero, ubi de receptione alienigenarum in Ordinem agitur, praeter certam pecuniae summam, dimissio quoque a patrio gubernio exigitur. Quibus rerum adjunctis itaque facile fieri potest, idque non sine magno detrimento respectivi monasterii, ut religiosi, si exacto novitiatu non statim ad professionem solemnem admittantur, officiis civilibus atque imprimis militaribus suae patriae obstricti remaneant, vel ubi juri civitatis patria in regione renuntiaverint, et postmodum ante professionem votorum solemnium dimittantur, illo jure hinc illinc privati existant. Non mirum igitur, si talibus rerum eventibus plures a capessenda religione deterreantur, idque eo magis, cum jam de cetero leges civiles et publicas in Helvetia et alibi ordinibus religiosis nullatenus favere constat.

Nova nec minor difficultas exsurgit quoad illos religionis candidatos, qui ad sacros ordines suscipiuntur. Sine speciali enim indulto S. Sedis ejusmodi religiosos, nondum solemniter professos, etiamsi S. Theologiae curriculum jam absolverint, ad S. Ordines promovere non licet; si vero ex speciali concessione S. Sedis Ordinibus s. initiantur et tamen postmodum ante solemnem professionem a religione dimittuntur, ipsi, uti monitum est, tamdiu ab exercitio Ordinum suspensi remanent, donec de congruo patrimonio ad praescriptum SS. canonum provideantur.

Facile perspicitur, quae et quanta inde incommoda et detrimenta in monasteria non minus ac in ipsos professos redundare necesse sit, idque eo magis, cum insuper Reverendissimi Ordinarii aperta ex ratione haud pronos se ostendunt ejusmodi religiosos ordinandi, et vix sperandum est, eosdem proniores fieri, tales a religione dimissos recipiendi. Quid mirum igitur, si pariter multi ejusmodi infaustis auspiciis deterriti ab ingressu in religionem arceantur?

Accedit denique tertia et quidem hucusque expositis multo gravior ratio, qua revera comprobatur, per novam profitendi legem salutarem finem, ad quem illam a S. Pontifice latam cognoscimus, pessumdari potius quam obtineri. Teste enim experientia professio votorum solemnium, introducta lege de professione votorum simplicium, multum illius saluberrimae efficaciae et vis perdidit, quam prius in animum et voluntatem

voventium edere consueverat. Eadem experientia tristia jam praebuit exempla, levioris animi candidatos, licet de valore ac indole votorum simplicium rite monitos, talia vota fallaci quadam mentis reservatione emittere, occulta videlicet spe fretos, fore, ut ante exactum triennium a professione votorum simplicium ipsis resilire contingat. Ejusmodi sine dubio jam durante novitiatu recessissent, si illo exacto professio votorum solemnium emittenda fuisset; fallaci autem spe ducti bonam voluntatem simulant, votaque simplicia emittunt, ut ad tempus sumptibus monasterii nutriantur ac educentur.

Experientia denique ac traditione, nondum lata nova lege de professione votorum simplicium, edocti sumus, eos qui tempore novitiatus rite probati et bene dispositi ad votorum professionem pervenerant, postmodum de vocatione sua raro dubitasse; ubi vero id acciderat, plerumque non primo decennio a votorum emissione, sed postmodum evenisse. Itaque ubi durante novitiatu rite et severe ad normam S. Regulae ac constitutionum probantur ac informantur spiritus, prosperum in futurum successum sperare licet, etsi professio solemnis novitiatum sine mora sequatur; ubi e contra novitiis tempore novitiatus debita cura et monastica disciplina defuerit, vix sperandum est, ut defectus ejusmodi triennio subsequente suppleantur.

Quae cum ita sint, procedendi modus cum ordinis candidatis inquirendus ac statuendus esse videtur, quo illos ante ac durante eorum novitiatu rite probari et informari contingat. Ejusmodi vero procedendi modum quo id sperare licet et quo insuper difficultates, legi de professione votorum simplicium obstantes, removentur, quin saluberrimus legis illius finis evanescat, in hoc positum esse existimamus:

1. ut nemo ante impletum annum aetatis duodevicesimum ad novitiatum admittatur;

2. ut postulantes ante novitiatum saltem biennium aut in collegio monasterii, cui incorporari cupiunt, vel ordinis ad quem monasterium pertinet, aut in Seminario quodam Episcopali commorati ac probati fuerint;

3. ut durante novitiatu, interceptis literarum ac scientiarum profanarum studiis, novitii arte ascetica, disciplina monastica, notitia S. Regulae ac Ordinis constitutionum, Ordinis quoque historia imbuantur, atque generatim iis religionis exercitiis occupentur, quibus ad pietatem secundum spiritum Ordinis informentur;

4. ut ita probati ac informati, si ipsi serio petant, atque monasterii conventus de more S. Regulae petentibus annuendum judicaverit, expleto anno integro novitiatus et impleto anno

aetatis undevicesimo, ad solemnem votorum professionem secundum regulam ac statuta Ordinis admittantur.

Tali procedendi ratione in Ordinem suscipiendis occasio praebetur se et ea, quae ipsos in religione manebunt, rite et mature probandi, Ordinis vero ac religiosarum domuum praepositis, imprimis novitiorum magistris sat morae suppeditatur, de indole ac vocatione suscipiendorum firmiter judicandi. Insuper eodem procedendi modo difficultates sponte sua removentur, quae novae legi profitendi fere ubique opponuntur.

Quapropter Congregatio helveto-benedictina instantissime precatur, ut memorata lex de professione votorum simplicium saltem quoad illos, qui ad S. Ordines suscipiuntur, ad tenorem expositae propositionis modificetur; quod si fiat, dicta congregatio firma persuasione ac fiducia animatur, ejusmodi dispositionem et sibi et universo S. P. Benedicti Ordini in profectum et salutem cessuram esse.

Quibus expositis summae, ut par est, venerationis et obsequii sensibus me profiteor

Datum Romae in monasterio S. Callisti
die 31 Martii 1870.

humillimum et observantissimum servum
HENRICUM
Abbatem monasterii Einsidlensis
et Praesidem congregationis helveto-benedictinae.

Alia, quae ad Regulares pertinent, inserta sunt Postulatis disciplinam spectantibus, imprimis Galliae et Belgii Episcoporum.

PARS QUARTA.

DOCUMENTA, QUAE AD RES RITUS ORIENTALIS ET MISSIONUM PERTINENT.

Schemata de hac utraque re proposita Concilii Patribus non erant distributa. Nonnulla autem Postulata, quae ad harum duarum rerum unam vel alteram pertinent, postulatis ad disciplinam spectantibus, quae supra memoravimus, immixta sunt. Praeterea huc pertinent Postulata sequentia.

---

1. POSTULATUM

ARCHIEPISCOPI BERITENSIS.

I. Protestantismus catholicae Religionis inimicus acerrimus abhinc jam 30 annis incoepit apparere in Syria, et omnes posuit vires ad diffundenda suae doctrinae venena diversis modis; cito scholas erexit ad instructionem puerorum et puellarum, et libros multiplices distribuit; scilicet libros S. Scripturae corruptos et alios ex professo contrectantes illorum errores gratis ad propagandam suam doctrinam. Isti vero libri attulerunt damnum spirituale, quia inveniuntur apud plurimos et multiplicibus in locis, ita ut prohibitio illorum ab Ordinariis haud potuerit suum fructum habere praesertim quia desunt libri catholici qui occupent vicem istorum librorum. Credo unicum remedium hujus morbi curam facere ut tradantur typis libri vera Religionis principia continentes, et illi gratis distribuantur. Verumtamen etiamsi usque adhuc pauci illos sunt sequuti propter mercedem, nihilominus effusio illorum librorum grave damnum attulit.

II. Alterum malum animas indirecte inficiens est illud quod provenit a juvenibus, qui ad studium linguarum Europae et praesertim Galliae incumbunt in collegiis RR. PP. missionis Anturae et Gasirensis RR. PP. Jesuitarum. Juvenes isti collegium ingrediuntur aetate 12 aut 14 annorum et egrediuntur aetate 16 vel 18 annorum, et quamvis juvenes isti, in sua prima aetate inveniantur in collegio, et ibi Rectores et magistri omnem impendant curam ad illos rite instituendos in Religiosis principiis et doctrina christiana et in omnibus pietatis exercitiis et frequentatione SS. Sacramentorum; attamen a primo illorum decessu e collegio statim notabilis mutatio in vitam

ducendi modo apparet ut non possint plus conversari nisi cum illis, qui callent linguam gallicam, et inde omnino se dant in conversationes francorum qui Beriti inveniuntur: et cum isti sint expoliati omnibus Religionis sensibus et plerique ex eis veri inimici Religionis, illos juvenes corrumpunt scandalo, distribuendo illis libros pestiferos, irreligiosos et immorales, et in irrisionem vertentes, veluti ephemerides, omnia pia clericorum opera, et isti juvenes facillime corrupti, multoties superant illorum magistros in malitia, sicuti de facto evenit. Ne quis putet hoc dictum fuisse latiori modo, sed stricte verum dictum fuit, et omnes alumni horum collegiorum sunt hujusmodi et ad summum 5 inter centum enumerari possunt eorum, qui vere permanent conficientes opera bona vitae religiosae digna; reliqui vero non solum corrupti, sed etiam multos simplices corrumpunt qui eis sunt addicti.

At videamus nunc quaenam differentia sit inter istos alumnos et inter alumnos Protestantium: primi enim jam inde a decessu de collegio totaliter se declarant contra illorum magistros, et contra ipsos suos correligionarios; at secundi e contra patrocinantur suis magistris et illorum dogmatibus et omnes suas vires ponunt ad alios adducendum in errorem.

Credo vero istud discrimen provenire ex eo quod Protestantes in docendo non tam incumbunt in linguam docendam, quam ad suos alumnos imbuendos principiis religiosis; hi deinde non egrediuntur collegio ante aetatem 21 et illorum magistri non desinunt illos inspicere et frequentare et illis procurare officia, et etiam in illorum collegiis non attendunt multitudini alumnorum propter temporale lucrum, sicuti faciunt missionarii catholici, quia gratis docent omnes; et ideo ad ista damna tollenda credo potius convenire ut inculcetur specialis instructio in fidei rudimentis multo magis, quam in linguarum instructione.

Secundo debet commendari istis collegiis quod non admittantur in ipsa juvenes nisi aetate 16 et non egrediantur collegio ante 21 annum aetatis suae.

Deinde prorsus excludi debet mixtura haereticorum et infidelium cum alumnis catholicis.

Deinde multiplex alumnorum numerus debet redigi ad pauciorem, et ideo quidquid superest ex eleemosynis societatis scholarum orientalium impendi debet in libris imprimendis et gratis distribuendis.

Cum vero pleraque ista damna proveniant a Societatibus Europae, ideo etiam zelatores catholici Europae debent fortiter pugnare vires infernales mediis efficacioribus. Oriens enim vix potest resistere vi indigena.

III. Tertia consideratio spectat missionarios. Certum est finem missionum consistere in auxilio praebendo Ordinariis Dioecesium et ministris indigenis ad salutem animarum fidelium assequendam et in incumbendo ad conversionem haereticorum et infidelium ad Ecclesiam Catholicam. At videndum nobis remanet, utrum re vera ratio missionariorum procedendi congruat fini missionis, necne.

Certe, si constituatur verum judicium, invenietur differentia vel maxima, quoniam opera omnia Jesuitarum unicum habent scopum, evellendi scilicet legitimam superiorum Ecclesiasticorum auctoritatem, necnon ipsorum Parochorum, et suadendi populum ut derelinquat suos legitimos superiores; et praesertim hoc exoptant a magnatibus et ditioribus populi, sicuti de facto evenit in ipsa urbe Beriti.

1. Etenim primo sibi domum et Ecclesiam constituerunt in medio domorum catholicarum, ut commodius possent illorum Ecclesiam frequentare; deinde Scholas aperuerunt, et primum incoeperunt docere in illis juvenes gratis, ut possent habere rationem juvenes relinquendi Scholas indigenas; et hoc modo habuerunt rationem non solum trahendi ad se juvenes, sed et matres illorum, quibus tum frequenter distribuunt imagines, numismata et cruces et coronas, et ita istae mulieres majori cum desiderio, frequentant illorum Ecclesias, et mox secum trahunt viros suos, et filios et alios etiam sibi notos.

2. Inconsulta Ordinarii auctoritate Sodalitates instituunt pro viris et mulieribus sub diversis titulis et ad istas Sodalitates invitant praesertim magnates populi et ditiores nationis, et ita, relicta sodalitate propriae nationis sese irruunt apud missionarios dictos; et cum Maronitarum ritus in plurimis cohaereat Latino, ideo omnes qui illos frequentant in Spiritualibus sunt Maronitae; et ad magis illos ad se trahendos eo pervenerunt, ut in sua Ecclesia utantur lingua arabica et canticis Orientalibus et hoc praecipue in benedictione SS. Sacramenti et in aliis benedictionibus, et processionibus, et cantica omnia in Sodalitatibus sunt in lingua arabica populari, et faciunt etiam benedictionem Palmarum et populo distribuunt illas, et plura alia his similia faciunt contra jura Parochorum.

3. Cum volunt praedicare in Ecclesia, quasi semper seligunt illam ipsam horam qua in Ecclesia Parochiali habetur concio, et circumeunt domos magnatum et ditiorum invitantes illos ad audiendam concionem apud eos, et concionem faciunt in lingua arabica quam non callent, ita ut excitent auditores ad irrisionem, potius quam colligant fructus spirituales; sed et quod tristius est, plerique juvenes et puellae frequentant illorum Ecclesiam ut possint liberius secum invicem communi-

care, quia in illorum Ecclesia non sunt separati per cancellos, sicuti est in Ecclesia nationali ubi mulieres habent locum separatum intra cancellos.

4. Cum in primis diebus quadragesimalibus incipiunt sacerdotes nationales exercitia spiritualia populo dare, ipsi etiam incipiunt in sua Ecclesia exercitia spiritualia publice facere, et ipsi Patres Jesuitae percurrunt domos ad invitandum populum ad exercitia spiritualia apud ipsos facienda, et aperte denunciant quod quicumque non faciat exercitia spiritualia et communionem apud ipsos certe amittit indulgentias ad hoc concessas; et ideo quamplurimi sese ducunt apud illos et praesertim feminae immoralem ducentes vitam; quae postquam egrediuntur ab exercitiis spiritualibus, incipiunt gravi cum scandalo aperte loqui de confessariis suis utpote mitiores sunt et poenitentiam nonnisi leviorem, vel nullam quandoque proponunt poenitentibus suis, et plerique absolutionem Sacramentalem concedunt sine admonitionibus necessariis etc. etc.

Et istae pluries videntur frequentare confessiones. Veruntamen persistunt in mala sua vivendi ratione; e contra foeminae timoratae conscientiae saepius evenit ut postquam confessae sint apud illos Patres, confessionem iterent apud suos confessarios nationales, persuasae quod confessarius Jesuita non bene intellexisset peccata sua, et ideo se abstinent a S. Communione antequam repetant confessionem.

5. Missionarii isti saepe nonnullos inducunt inexpertos juvenes et puellas ad emittendum votum pro tempore determinato ex quo obligentur ad obedientiam his sollummodo per quos vota facta sunt, et ita totaliter liberi evadunt ab obedientia suorum legitimorum superiorum.

6. Inconsulto Ordinario isti Patres recipiunt in solo maronitarum ritu nonnullos haereticos conversos et turcas baptizatos sine examine verae vocationis; et ideo saepius accidit quod isti noviter conversi inducunt in plura mala, et recurrunt ad Patres, qui statim illos mittunt ad Parochos maronitas vel ad Ordinarium, et illos plane derelinquunt, et ex his nonnulla scandala evenerunt, sicuti in proximiore tempore evenit noviter:

Juvenis quidam Schismaticus Graecus frequentabat puellam maronitam in civitate Bairut, et venit adhaerere suae petitioni ut illam in matrimonio habeat. Iste se contulit ad Parochum Maronitam petens se velle conjungi in matrimonium cum tali puella: at Parochus cum illum non cognovisset petiit ab illo litteras authenticas liberi sui status et religionis; quo audito, statim ille juvenis perrexit ad Jesuitas, et accepit ab illis dimissorias authenticas, in quibus declarabatur ipsum juvenem Graecum Schismaticum esse, sed quatuor abhinc annis frequen-

tare Ecclesiam Jesuitarum et ibi confiteri, et non inveniri impedimentum ullum ad contrahendum matrimonium. Parochus vero innixus isti Patrum testimonio nuptias benedixit, et post quatuor dies a consummatione matrimonii, iste juvenis reliquit sponsam suam et apud Graecos rediit, se excusans quod hoc fecisset dum erat ebrius cum contraxit matrimonium cum puella maronita coram Parocho Maronita, declarans aperte se nolle plus cognoscere sponsam suam, et deinceps haec quaestio eo devenit, ut et ipsum Gubernium civile voluerit causam legaliter tractare et postremo obligavit juvenem ad sustentationem suae sponsae, et non ad cohabitationem cum ipsa, et nunc cum egressus est e carcere Graeci Schismatici declararunt nullitatem matrimonii et suaserunt juveni illi ad secundas nuptias transire, et sic prima sua sponsa derelicta permansit.

Nonne hoc ab imprudentia et inexperientia Jesuitarum evenit?

7. Jesuitae vocant ad se sacerdotes Maronitas ab externis dioecesibus ad convivendum secumipsis sine praevia facultate Ordinarii, et isti sacerdotes evadunt subditi illorum ita ut ipsis concedant facultatem confessiones audiendi et alia etiam spiritualia exercitia faciendi inconsulto Ordinario, et isti etiam sicut Jesuitae percurrunt domos fidelium sicuti faciunt illorum magistri Jesuitae, et exinde haud parvum exoritur scandalum; et haec agendi ratio videtur minime posse convenire fini missionis, quae instituta fuit ad levamen in laboribus Parochorum et Episcoporum, et non ad arripiendum jura illorum et jurisdictionem, quoniam grex iste ita suo libitu relictus, clausis auribus voci sui legitimi pastoris, sese immergit in pluribus extravagantiis, sicuti revera videmus accidisse in urbe Beriti, quia magnates et ditiores populi, relicta propria nationali et Parochiali Ecclesia, frequentantes semper Ecclesiam Jesuitarum, illorum legitimi superiores non possunt jam cognoscere verum illorum statum in spiritualibus, nec jam possunt cognoscere utrum adimpleverint praeceptum Paschale necne, et quaenam remedia afferenda sint malis que pleraque exoriuntur a derelinquentibus proprias nationales Ecclesias et se subtrahentibus ab auctoritate suorum superiorum, et ex hac disciplinari deturbatione sequuta sunt vel maxima detrimenta bonis Ecclesiae et beneficiis clericorum; quoniam 20 abhinc annis Maronitarum numerus ascendebat Beriti ad tria 1000 et quotannis dabant Ecclesiae 3000 *franchi* et dabant beneficium suis sacerdotibus numero 6 in sustentationem 1000 *franchi.* Nunc e contra numerus Maronitarum Beriti ascendit ad 15,000 et numerus sacerdotum ad 12, et nunc dant in beneficium Ecclesiae 1000 *franchi* et in beneficium sacerdotum 1300 *franchi;* et ex his apparet clare quae-

nam notabilis differentia inveniatur et quam multi sint qui desierunt frequentare Ecclesiam nationalem. Ex hoc autem fit ut jam non possim invenire sacerdotes qui serviant Berito, quia illis deficit beneficium necessarium ad vivendum, et ego ipse anno 1868 et 1869 debui subministrare sacerdotibus Beriti beneficium ad vivendum, et certe nisi hoc fecissem, omnes sacerdotes relinquerent Beritum: et certe si huic malo non medeatur et jura Ecclesiastica non stabiliantur, cito habebimus ruinam cleri nostri et Ecclesiae etiam nationalis quia non habet jam redditus sufficientes ad sui sustentationem, et jam ipsae decimae Episcoporum quasi in oblivionem venerunt; et haec omnia incommoda missionariorum exurgunt ab amore lucri temporalis, quibus auxilia pecuniaria a societatibus Europae non sufficiunt, et ipsa subsidia pecuniaria, quae accipiunt ab Orientalibus ipsis et a juvenibus scholarum, nec non quae cumulant ex sodalitatibus et aliis extraordinariis fontibus, sed et volunt advocare populum ad suam Ecclesiam, ut eleemosynas omnes sibi congregentur, et ideo redditus nostrae Ecclesiae et Parochorum et sacerdotum nationalium redacti sunt quasi ad nihilum.

Haec omnia huc usque dicta sunt vera facta et oculis possunt perfacile videri, neque haec dicta sunt in odium missionariorum, qui bene cognoscunt benevolentiam meam erga ipsos, sicuti ipsi pluries idipsum testati sunt: et revera nihil possumus dicere contra mores illorum et doctrinam et zelum. Verumtamen deploramus illorum agendi modum, utpote omnino contrarium juribus ecclesiasticis disciplinaribus, et fini missionum praescripto a S. Sede.

Ideo deprecamur ut aut nos derelinquamus jura nostra supra gregem nobis commissum Missionariis, aut obligamur *(sic!)* nostrum gregem ubicumque inveniatur, quoniam nobis commissa est gregis custodia et non missionariis qui debent coadjuvare pastores et non avellere oves ab ovili: quia qui ab ovili discedit errans est.

Et istae lamentationes non sunt e nostra parte tantum, sed plurimi Ordinarii idem expostulant, sicuti constabit si ab ipsis quaeratur. Aliqui vero eorum, cum non potuerint haec missionariorum facta tolerare ea in ephemeridibus coacti fuerunt publicare.

Die 12. Martii 1870.

Tobia ant Maronita
Archiepiscopus Beritensis.

2. POSTULATUM

EPISCOPI LUCIONENSIS, AD PARVAM ECCLESIAM (SECTAM STEVENISTARUM) PERTINENS.

Episcoporum quorundam obstinata renuentia suis Sedibus cedendi, post publicationem Litterarum Apostolicarum *Tam multa,* diei XV. Mensis Augusti, anni 1801, Conclusionem Concordati spectantium quod inierat S. S. Pius PP. VII. cum Napoleone, primo Consule Gallicae Reipublicae, ortum dedit cuidam Schismati, cujus fautores et Sectatores in Gallia *Dissidentes,* aut etiam *parvae Ecclesiae membra,* vocantur.

Sat altis radicibus inhaeret illud Schisma in *Veteri Vendea militari*, quae sub finem XVIII. saeculi pugnarum heroismo praestantissimo notabilium Sedem se dedit, pro Religionis Regiique Regiminis defensione.

Dioecesis mea Lucionensis, cujus intra limites pars est aliqua hujusce regionis nobilitate insignis, Christianorum heroum sanguine effuso illustratae, Schismate *Dissidentium* fuit infecta quibusdam in Parochiis. Generatim illi *Dissidentes* sunt Christiani austeritate vitae, morumque integritate omnino commendati: at ex ecclesiis exules vivunt, diebus Dominicis et Festivis ad orationem se conferunt in domos privatas, ubi adunantur praesidente persona laica, sive viro sive muliere, quae etiam *Dissidentium* infantes baptizat, imo conjugum pro contrahendis matrimoniis consensum recipit.

Praedecessorum meorum vestigiis inhaerens, nullum ex iis quae mihi suppetunt mediis, ad eos misere devios in aulam divini Pastoris reducendos adhibere praetermisi: et quolibet anno, occasione praesertim Visitationum Pastoralium, quidam *Dissidentes,* cum magno meo solatio, ad unitatem Catholicam revertuntur.

Quibusdam in Dioecesibus *Dissidentium* Secta, idest *Parva Ecclesia* ut vocant, Excommunicationis publicatione fuit profligata: non ita in Dioecesi Lucionensi, ubi semper cum *Dissidentibus* illis actum est indulgentia quadam et mansuetudine: hanc ob causam necessaria mansuetudo quod hujus Schismatis occasio *in Vendea* intricetur elemento quodam politico, quod quidem innititur dispositione ingenita, a patribus scilicet suis accepta, in favorem regiae legitimitatis. Tota *Vendea* perpetuo in praxi protestata est contra quasdam Concordati ordinationes, ex eo quod illae ordinationes coaevae sint regiminis politici quod aegre illius Regionis incolae admittunt. Sic Festa a Concordato suppressa in *Vendea* celebrantur, operum

servilium abstinentia, majori etiam fidelitate quam ipsae Dominicae, et quidem non solum a fidelibus Christianis, sed ab iis etiam qui Religionis jugum caeteroquin rejiciunt.

Meridianae Galliae, speciatimque Lugduni Urbis *Dissidentes* Schismatis sui rationes mere religiosas afferre videntur. Verumtamen quae S. Concilium Vaticanum media judicabit opportune adhibenda aut praescribenda, ad procurandam illorum conversionem, et regressum in Ovile J. Christi, *Dissidentibus* etiam *Vendeae* erunt acceptabilia, cum omnes nunc temporis oculos ad Eminentissimos Patres Concilii Oecumenici elevent, verba vitae postulantes, summoque desiderio expectantes.

Mihi opportunum visum est huic supplici libello adjungere:

1. Duo scripta ab oratoribus Dissidentibus typis mandata, quorum tituli sunt:

Canonicae et reverentissimae expostulationes (1803).
Reverentissima Commentatio etc. (1869).

2. Quasdam observationes criticas circa haec duo scripta.

Cum maxima reverentia vestrum me fateor

Eminentissimi et reverendissimi Patres,

Romae 19. Februarii 1870.

Observantissimum et humillimum Servum
† Carolus Colet, Ep. Lucionensis.

OBSERVATIONES CRITICAE

super duobus scriptis ad quaestionem dissidentium post Concordatum Galliae spectantibus, quorum tituli sunt:

Canonicae et reverentissimae expostulationes (1803).
Reverentissima Commentatio etc. (1869).

1. Ad hanc quaestionem rite discutiendam fatendum est quod Episcopi de quibus agitur non fuerunt vituperandi propter *expostulationes* ab ipsis ad summum Pontificem directas. Verba Benedicti XIV. et Pii VI. in pagina 12 *Canon. et Rev. expost.* id clare probant.

2. Procul dubio argumenta non levis momenti afferebant ipsidem Episcopi in suis expostulationibus, sive intendatur quaestio in se (pag. 40, 53—55); sive respiciantur abusus ex parte Gubernii Galliarum grassantes (v. q. *art. organ.*); sive attendatur ad prohibitionem exigendi retractationem ab iis qui fuerunt intrusi (pag. 90—95); ad nominationem Episcoporum

et Parochorum intrusorum qui se retractare nolebant (pag. 72—90, 98—104, 107 etc.).

3. Sed plurimae citationes a jure Canonico Pontificio etc. non spectant ad quaestionem de qua agebatur. (Vid. p. 4, 5, 40, 56, 57, 58). Sese referunt istae citationes ad casus in quibus Summi Pontificis auctoritas minime intervenerat. Sic exemplum Arsacii in *Reverentissima commentatione*, pag. 11. Non sic in concordato anni 1801.

4. Inamovibilitatem Episcoporum late probant expostulationes (pag. 47, 48, 53—55). At non agebatur de hac quaestione *in se*. Agebatur de casu *summae necessitatis* in qua certe summus Pontifex poterat, saltem *tanquam interpres juris divini*, providere saluti totius Galliae quae jam a decem annis schismate horrendissimo vexabatur.

Et vere comparatio *conjugii spiritualis* Episcoporum cum *conjugio corporali* Sponsorum (pag. 54, n. 2.) non debet in omnibus urgeri, siquidem conjugii corporalis sponsorum nequit indissolubilitas etiam ex libero consensu labefactari.

5. Episcopi in suis expostulationibus (pag. 32, 34, 36) opponunt agendi rationem Pii VI. cum agendi ratione Pii VII. At nihil probat ista oppositio, cum circumstantiae fuerint valde diversae. Jam ab annis decem, sicut prius dictum est, schisma Gallias vastabat, et si Pius VII. occasionem sibi oblatam nactus non fuisset, forsan illud schisma etiam nunc Galliam opprimeret.

6. Expostulationes semper supponunt (P. 10—12, 15, 16) Pium VII. *poena mulctare* veteres Episcopos Dioeceseon. Sed minime agitur de poena inflicta. Imo Pius VII. (Litt. *Tam multa* 15. Aug. 1801) eos paterne obtestatur ut cessionem faciant sedium suarum, et agit ex *auctoritate apostolica* tantummodo in casu necessitatis extremae. (Expostulat. p. 8).

7. Innuunt Expostulationum auctores (p. 58, 106, 108) Episcopos a Pio VII. institutos esse quasi intrusos, sed id minime affirmant.

Et certe constabat eos, saltem ut *delegatos a Summo Pontifice*, validam exercere jurisdictionem. Ipsi expostulationum auctores summam Successoris B. Petri auctoritatem in tota Ecclesia profitentur.

8. Epistolae quorumdam Episcoporum hisce *expostulationibus* posteriores eo usque devenerunt, ut haberent quasi intrusos eos qui jurisdictionem a summo Pontifice receperant. (*Reverentissima commentatio*, p. 11, 13, 19, 21, 23). Hic est error fundamentalis dissidentium.

Porro, intrusi esse non possunt ii quibus summus Pontifex confert jurisdictionem. Concesso etiam quod veteribus Episcopis jurisdictio mansisset integra (et hoc valde dubium est ex verbis

Pii VII., Litt. *Tam multa)*, instituti a Pio VII. episcopi ad minus erant *delegati* S. Sedis.

Objicitur revera illos, aut saltem quosdam ex ipsis fuisse notorie schismaticos, et perseverantes in suo schismate, ideoque nullam fuisse *pro eis* jurisdictionis collationem. At 1. Clausula absolutionis quae ordinarie in Litteris Pontificiis adjungitur, validat Collationem. *(Homo apost. S. Lig. tr. 19. n. 19. not. 5)*; 2. licet nulla in se esset collatio, *adest titulus coloratus qui cum errore communi sufficit (Homo apost. tr. 16. n. 90).*

9. Plurimae citationes allatae in *expostulationibus* sufficerent ad tollendum schisma. — Praesertim verba S. Hieron. p. 5; S. Aug. p. 64 et 98; S. Cypriani p. 98.

10. Ipse *D. de Themicus* nunc diceret *Dissidentibus* obtemperandi obligationem, siquidem ad auctoritatem *Summi Pontificis et Episcoporum Orthodoxorum* Mundi Catholici in suis ultimis litteris totum Galliae Ecclesiae negotium transtulit. *(Reverentissima commentatio* p. 25).

11. Supponendo etiam quod veteres Episcopi suam servaverint jurisdictionem, Episcopi de novo a summo Pontifice instituti, *post eorum mortem,* omnis generis jurisdictionem habebant. Qui ergo recusabant auctoritatem et jurisdictionem agnoscere eorum qui *vetus suum schisma* non retractaverant (non obstante titulo saltem colorato) nullam rationem habebant rejiciendi eos qui fuerunt instituti post *veterum schismaticorum mortem.*

12. Et sane in Concilio Vaticano clare perspicitur *Episcopos totius Ecclesiae cum Episcopis Galliae communicari,* et plenam esse communionem Episcoporum Galliae cum *summo Pontifice et tota Ecclesia catholica.*

Unde cum error *dissidentium* nulla tergiversatione dissimulari possit, sperandum est quod quaedam benevola verba a sacro Concilio Vaticano prolata reducent illos ad unitatem catholicam.

Romae die 19. Februarii 1870.

† Carolus Ep. Lucionensis.

2ª. POSTULATUM

ARCHIEPISCOPI MECHLINENSIS AD EANDEM REM SPECTANS.

Existunt hodiedum adhuc in dioecesi mea aliquae personae, numero forte quadringentae, quae in schismate ab Ecclesia catholica ejusque visibili in terris Capite Summo Pontifice vivunt, utpote sequaces et successores illorum, qui post Concordatum anno 1801 a P. M. Pio VII. initum cum Gallico Gubernio arbitrati sunt illicitam esse communicationem cum tunc constitutis a S. Sede Episcopis, aut cum sacerdotibus ab his eorumve successoribus ad paroeciarum administrationem missis.

Secta haec Stevenistarum nomine apud Belgas designari solet, [1]) ac per plures annos ab uno alterove sacerdote pariter schismatico dirigebatur. Anno quidem 1855, cum jam omni sacerdote carerent, aliqui ex praedictis per litteras ad S. Sedem confugerunt, ut a Summo Pontifice responsum acciperent, quo, ut ajebant, ad conscientiae tranquillitatem uti possent. Indulsit revera Sanctissimus Pater Pius IX. ejusmodi desiderio, et rescribere dignatus est, re examinata, eos in miserando schismate jacere, ac omnino necesse esse ut, schismate abjecto et ejurato, ad proprii Episcopi obedientiam redire festinent. Apostolicae autem litterae illae huc usque omni salutari destitutae fuerunt effectu; imo ex eo tempore aliqui Stevenistarum majori cum pertinacia in schismate perstiterunt.

Verumtamen post jam incoeptum Concilium Vaticanum, pertinacia illa imminuta apparet, imo timere vel saltem praevidere videntur condemnationem quamdam sui erroris ex coetu Episcoporum totius Orbis prodituram. Ad salutem igitur illarum miserarum ovium multum conduceret, si verbis saltem aliquibus Concilium declararet ab Ecclesia sejunctos et schismaticos esse eos omnes qui obedire noluerunt ordinationibus Pii VII., atque Episcopis ab ipso initio hujus saeculi suisque successoribus Romanis Pontificibus postea constitutis, iisque ut veris ac legitimis Ecclesiae pastoribus non obtemperant.

Ea propter postulat infrascriptus, ut in schemate de Ecclesia, Cap. IX. (De Rom. Pontificis primatu) pagina 22, post haec verba: *in singulas seorsum particularium pastorum ecclesias,* et ante haec: *aut etiam contendunt etc.* inserantur sequentia aut fere aequivalentia:

aut sustinent R. Pontificem non posse, vi hujus jurisdictionis, ad bonum religionis uti mediis extraordinariis (quale ineunte

---

[1]) In Gallia: *la petite église.*

hoc saeculo XIX. ad religionis cultum in Galliis restaurandum adhibuit P. M. Pius VII., plures Dioeceses extinguendo et novas erigendo), ac ideo hujusmodi ordinationibus obtemperare nolentes, Sanctae Sedi et constitutis ab Ea legitimis episcopis obedientiam detrectantes, a vera Christi Ecclesia sejuncti, in schismate versantur.

Romae 25. Februarii 1870.

† Victor Aug. Archiep. Mechlin.

3. POSTULATUM

UT A CONCILIO VATICANO JUDAEI AD AMPLEXANDAM RELIGIONEM CHRISTIANAM INVITENTUR.

A Sacra Oecumenica Synodo Vaticana infrascripti Patres humillima instantique postulant prece, ut et miserrimam Hebraeorum gentem paterna quadam invitatione dignetur praevenire: scilicet votum exprimere, ut tandem longissima inutilique expectatione lassati, ad MESSIAM SALVATOREM NOSTRUM, vere promissum Abrahae et a Moyse praenunciatum festinent accedere: sic perficientes coronantesque religionem Mosaïcam, non mutantes.

POSTULATI RATIONES.

Ex una parte infrascripti Patres firmissimam tenent fiduciam fore ut Sacrosancta Synodus Israelitarum misereatur, quia semper sunt Deo charissimi propter Patres, et quia ex eis est Christus secundum carnem.

Ex altera parte iisdem Patribus dulcis inest et intima spes, hoc votum honoris necnon dilectionis, adjuvante Spiritu Sancto, libenter acceptum iri a pluribus Abrahae filiis: quia vetera, quibus detinebantur, obstacula videntur nunc evanescere, jam diruto antiquae divisionis muro.

Utinam igitur citius acclament Christum, dicentes: Hosanna filio David! benedictus qui venit in Nomine Domini!

Utinam ad brachia advolent Immaculatae Mariae, quae, jam ipsorum soror secundum carnem, vult ipsis esse sicut et nobis mater secundum gratiam.

Huic postulationi quingenti et decem Concilii Patres subscripserunt.

INDEX RERUM ET PERSONARUM.